Fiedler, Prof. Wei

Denkmünze auf die Aufhebung des Jesuiten-ordens 1773.

— Ueber eine Denkmünze, die einen unstreitig hohen Werth hat, schreib das D. Wochenbl.: „Clemens XIV., der erleuchtete Papst, welcher (vor eben 100 Jahren) das berühmte Breve „Dominus ac Redemptor noster" (Unse Herr und Heiland) am 21. Juli 1773 unterzeichnete und am 16. August 1773 publicirte, worin er den Jesuiten-Orden aus »Rücksichten für den Frieden der Kirche« und »für alle Zeiten« aufhob, hat zum Gedächtniß dessen ein Medaille schlagen lassen. Sie ist selten. Vielfach aufgekauft und vernichtet oder be Seite gebracht, wird sie nur in verhältnißmäßig wenigen und um so kostba reren Exemplaren aufbewahrt. Auf der einen Seite trägt sie das Brustbild Ganganelli's mit der Umschrift: „Clemens XIV. Pontif. Max."; der Paps hat die rechte Hand segnend erhoben. Auf der andern Seite vertreibt der Heiland, gefolgt von zwei Aposteln, unter denen Petrus an dem großen Schlüsse kenntlich gemacht ist, drei Väter der »Gesellschaft Jesu«, was die Umschrif erläutert: „Numquam novi Vos, discedite a me omnes" (Ich habe Euch nie gekannt, weichet von mir). Die Denkmünze trägt also die Jahreszahl de Aufhebung des Ordens: 1773. Es wäre erwünscht, wenn zur Säcularfeie die beiden Seiten der Medaille photographisch abgebildet und zu allgemeine Kenntnißnahme gebracht würden; an Abnehmern der Photographie dürfte e nicht fehlen, da die Freunde des Ordens zahlreich, die Verehrer des Papstes der aus Rücksicht auf den Frieden der Kirche ihn für alle Zeiten aufhob un sodann erkrankte und hinsiechte, noch weit zahlreicher sind."

Zu pag. 184 Gottes Freund, der Pfaffen Feindt.

Hamburg, 13. Mai. Fürst Bismarck hat zu seinem Geburtstag von Herrn Hermann Lilienfeld ein sinniges Geschenk erhalten. Einen Thaler, geprägt 1682, mit der Prägung: „Gottes Freundt, der Pfaffen Feindt", um umgeben von der Rundschrift: „Christian, Herzog zu Braunschw. und Läneb." Die Rückseite zeigt einen geharnischten rechten Arm mit erhobenem Schwert und der Umschrift: „Tout avec Dieu 1622." Herzog Christian hat, als er im 30jährigen Kriege in einer Schlacht den linken Arm einbüßte, zur Erinnerung solche Thaler, die jetzt sehr selten sind, prägen lassen.

Angebunden: Derselbe Beitrag zur Geschichte des Geschmacks in der Kunst aus Münzen Altenburg 1763.

CHRIST. ADOLPHI KLOTZII

HISTORIA NVMORVM CONTVMELIOSORVM ET SATYRICORVM.



CVM FIGVRIS AERI INCISIS.

ALTENBVRGI

EX OFFICINA RICHTERIA

M. DCC. LXV.

PRAEFATIO.

Constitueram huic libello disputationem praefigere, in qua de capitibus quibusdam rei numariae, quae mihi nondum explicita satis, aut omnino a viris doctis neglecta viderentur, exponere, et ad ea illustranda harum litterarum studiosos adhortari animus erat. Quanquam enim patrum memoria complures doctissimi viri ad hanc doctrinae liberalioris partem ingenium operamque suam contulerunt, atque etiam nostra aetate multa praeclare disputata et docte scripta eduntur, quibus rei numariae studium egregie adiuuatur ornaturque: plu-

ra tamen, quam aliquis facile credat, relicta iacent, nec indigna illa doctorum hominum ingeniis, nec inutilia, aut iniucunda. Certe iucundius mihi videtur, licet haec voluptas non paruum laborem adiunctum habeat, aut aliquid noui inuenire, aut obscura illustrare, et ignota proferre in lucem, quam in indicibus librorum habitare, aut per latifundia humanitatis praedonum more excurrere, et singulis mensibus libellum aliquem miserum edere, in quo vnum alterumue antiquitatis caput, quod nemo ignorat, obscura diligentia, ridiculaque in iactandis omnium Thesaurorum *titulis, immortalibusque Gruteri, Reinesii et sexcentorum aliorum nominibus cuique versui adpingendis ambitione, ita illustratur, vt solere et posse eos hoc agere, qui non ipsos fontes adeant, e riuulis Pitiscianis hauriant, nec, praeter compilandi doctrinam*

nam aliorum peritiam, vlla re excellant, facile quisque intelligat.

Huic igitur hominum generi in aurem nonnulla dicere, Deoque Risui litare cupienti mihi ecce! illud praeter omnem opinionem accidit, vt a Friderico Magno in Academia Halensi philosophiam et eloquentiam aemulantem studia iuuentutem docere iuberer. Quod quidem munus nisi ea alacritate accepissem, qua ea, quae omnium rerum prima et iucundissima sunt, accipere solemus, immo qua nos homunculos Deorum iussa capessere decet: et honore illo, et felicitate, et commendatione summorum, quos Sapientissimus Regum in consilio habet, virorum indignissimus viderer. Accingenti vero me ad iter, iam sarcinulas colligenti, totque obruto negotiis, quae per caput et circa latus saliunt, quaeque, licet non magnitudine, multitudine tamen a suaui

 Musa-

Musarum consortio auellunt, nullum omnino otium relictum est. Quare totam illam disputationem in aliud tempus reseruare cogor, nihilque nunc addere vacat praeter ea, quae omnino praeteriri nequeunt.

Primum igitur lectorum quorundam causa, quos ideo nostro libello infensos fore video, quoniam illius auctor non historiarum professoris *titulo conspicuus, pallioque violaceo ornatus incedit, horum igitur causa moneo, me historiam numorum contumeliosorum contexere, non indicem illorum dare voluisse. Hinc multos omisi, quos addere facile poteram, eosque tantum recensui, qui reliquis memorabiliores viderentur. Cur vero quosdam tacuerim, qui nostris temporibus prodierint, omnes facile diuinabunt. Numorum non paucos ipse in manibus habui olim, eosque in commenta-*

riis

riis meis deſcripſi. Sed vel ſic indicaui libros, vbi appareant, adeoque conſpici poſſint ab his, qui curioſius rem cogoſcere voluerint. Copioſius cauſas narrare, quae numos Satyricos protulerint, non lubuit. neque enim hiſtoriam ſcribere, nobis propoſitum fuit. Paucis igitur ea omnia attigimus.

Ipſe vero libellus noſter ſi tibi, lector, non diſplicuerit, quod vel boni ominis cauſa ſpero, gratias velim agas habeasque Viro Cl. SAMVELI BENIAMINO REICHELIO, *bonarum litterarum in Gymnaſio Altenburgenſi profeſſori longe eruditiſſimo. Dedit enim vir optimus hoc ſuo erga me amori, vt ſpecimina operarum corrigeret, nec paucas horas, quas iucundius conſumere poterat, in re tam moleſta collocaret. quam quidem moleſtiam illum vix in tanta copia ſchedarum, quae quaſi Sibyllae folia,*

Verſo

Verſo tenuis cum cardine ventus
Impulit, et teneras turbauit ianua frondes,

volitabant, peſſimaque ſcriptura notatae erant, ſuſtenturum fuiſſe credo, niſi amabili viro ipſa Dea Amicitia adſtitiſſet, blanditiisque ſuis et dulci alloquio omne illud taedium minuere ſtuduiſſet et leuare. Verum, vt dixi, non licet plura nunc addere. Scripſi Gottingae, cui Deus faueat, cuique ſeruet ſummum Munchhuſium *(audi Deus votum!) quam diutiſſime! Prid. Kal. April. a. 1765.*

In

In tanta optimorum librorum copia, quibus res numaria cum veterum tum recentiorum temporum egregie illuſtratur, explicaturque mirifice, (quot enim, et quam inſigni doctrina et ingenio inſtructi viri ſe ad hoc ſtudium contulerunt, quo neſcio an iucundius vtiliusque vllum ſit aliud litterarum genus!) miror neminem de nummis expoſuiſſe, quos et ad contumeliam infamiamque aliorum, et ad irriſionem hominum cuſos eſſe conſtat, eorumque ſeriem diſponere, et quaſi hiſtoriam contexere ſtuduiſſe. Nam et magnus, ſi recentiora tempora ſpectes, eorum numerus eſt, et quorundam interpretatione temporum hominumque hiſtoriae multum lucis adfunditur, neque ipſa res aut iniucunda eſt cognitu, aut indigna, in qua aliquis ingenium diligentiamque oſtendat. Quid? quod exemplis poteſt doceri, ipſos reges et principes iniurias, quas nummis contumelioſis ſibi illatas eſſe putauerint,

aegerrime tuliſſe, atque etiam illas cauſis belli adnumeraſſe. Plurimos equidem puto difficultatibus deterritos eſſe, quae antiquitatis memoriam ſcrutantibus ſuboriuntur. Nihil enim fere difficilius eſt, quam aliquid certi de iis antiquorum numorum dicere, qui ad hoc genus pertinere videantur: cum et monetariorum ignorantiae quaedam tribui debeant, quae noua et mira videantur, et fraude auaritiaque nouorum artificum numi effingantur, atque etiam in iis, de quorum antiquitate non dubitandum eſt, ea tantummodo, quae veriſimilia ſint, ſequi debeamus. Nullus veterum ſcriptorum aliquid de eiusmodi numis dixit, ne ille quidem, apud quem fere nullam antiquarum rerum fruſtra quaeſiueris, Plinius in Hiſtoria naturali. Quare etiam nos, in origine horum numorum explicanda, minus nobis felices fuiſſe videmur, quam optauimus, exſpectauimusque ipſi, antequam ad ſcribendum accederemus. Nam licet hoc numorum genus antiquis iam temporibus cognitum fuiſſe mihi probabile videatur: nullo tamen, quibus temporibus illorum origo aſſignanda eſſet, documento deprehendere potuimus. Antiquis vero eiusmodi numos ideo credo non ignotos fuiſſe, quia, vt eſt ingenium humanum

manum nulla in re callidius, acutiusque, quam in vindicta de inimicis sumenda, video illos ea Satyrarum genera vsurpasse, quae numorum Satyricorum cudendorum occasionem praebere possent.

Initium faciamus a pictoribus, quorum aliquot petulantibus et ignominiosis operibus claros vidit antiqua aetas. Non dicam, Antiphilum iocoso nomine Gryllum ridiculi habitus pinxisse, atque inde hoc genus picturae gryllorum nomen accepisse (*a*). Pertinet huc Clesides, qui, cum nullo honore a regina Stratonice exceptus esset, pinxit volutantem cum piscatore, quem illam amare sermo erat, eamque tabulam in portu Ephesi proposuit (*b*). Bupalus etiam et Anthermus, sculptores clari, Hipponactis imaginem, qui LX Olympiade vixit, cuique notabilis vultus foeditas erat, lasciuia iocorum, ridentium circulis proposuere, amarissimis versibus ab irritabili poeta lacerati (*c*). Quid?

 quod

(*a*) v. Plinium in *Hist. Nat. L. XXXV. s.* 39. *p.* 702. ed. sec. Hard.

(*b*) *Ibid.* L. XXXV. s. 40. p. 707.

(*c*) Ib. L. XXXVI. s. 4. p. 724. Suidas ἱππώναξ. γράφει δὲ πρὸς Βούπαλον καὶ Ἄθηνιν, ἀγαλματοποιοὺς, ὅτι αὐτοῦ εἰκόνας πρὸς ὕβριν εἰργάσαντο.

quod Deos quoque picturarum licentia irriſerunt. Cteſilochum, Apellis diſcipulum, Plinius narrat (*d*) petulanti pictura innotuiſſe, Ioue Liberum parturiente depicto, mitrato et muliebriter ingemiſcente inter obſtetricia Dearum. Qui locus multum facere mihi videtur ad illuſtrationem alius picturae petulantis in vaſculo Etruſco, a Winckelmanno dato (*e*), amorem Iouis et Alcmenae ridicule exhibentis. Habuit igitur antiqua aetas picturas famoſas, quas e tabulis in alia monimenta migraſſe cur negemus? Addam quaedam de gemmis antiquis, in quibus ſatis ridiculas figuras petulantis artificis manus ſculpſit.

Adſpiciat mihi aliquis deformes moriones et monſtroſos, capite ſemiraſo et ridiculo vultu, in gemma Florentina (*f*), aut in aliis (*g*) non minus monſtroſas imagines conſi-

(*d*) in *Hiſt. Nat.* L. XXXIII. p. 707.

(*e*) *Geſchichte der Kunſt des Alterthums.* p. 115. add. p. 121.

(*f*) vid. *Muſeum Florentin.* in T. II. tab. 86. g. 3.

(*g*) exempli cauſa vide *Muſeum Cortonenſe.* p. 60. *Muſeum Etruſcum* T. I. tab. 186. *Muſeum Florent.* T. I. t. 45-51.

consideret. Illam Gorlaei gemmam (*h*), asinum palliatum, ad duo palliatos accedentem quae habet, quis seueri argumenti esse censeat, quis non ludicri et ridiculi? Aliam gemmam, quae exhibet Europam per maris vndas hirco equitantem, illiusque cursum baculo incitantem, Cupidine pone sequente, et sublatis complosisque quasi manibus pecudis cursum accelerante, in ludibrium Iouis sculptam esse censet, idoneus harum rerum iudex, doctissimus Schlaegerus (*i*). Sed nulla gemma est memorabilior illa Stoschiana, quam Winckelmannus describit (*k*). In ea exhibetur mulier vestita, sedens sub arbore, ramum dextra tenens, et quasi meditabunda sinistrae caput applicans. E regione illius aedicula habet Priapi statuam. Altera parte apparent septem Priapi, in circulo collocati, quorum in medio limax. Singulae Priaporum statuae appositas habent litteras, e quibus verbum INVICTA componitur.

(*h*) vid. *Dactylioth. Gorlaei.* P. II. gemm. 507.

(*i*) *Gemma antiqua sistens Europae raptum, imagine prorsus singulari adumbratum, illustrata dissertatione epistolari.* Hamburgi. 1734.

(*k*) *Description des pierres gravées du feu Baron de Stosch.* p. 443.

ponitur. Supra MESSAL infra CLAVDI. legitur. Primum verbum vir doctus bene explicat e versu Iuuenalis (*l*):

Et lassata viris necdum satiata recessit.

Limacem vero putat symbolum voluptatis esse, quoniam in quolibet huius generis animali natura vtrumque sexum coniunxerit. Addere potuisset, Plautum (*m*), meretrices appellasse *limaces*, et lectores ablegare ad ea, quae Taubmannus e Scaligero super caussis huius appellationis adfert (*n*). Simul etiam operae pretium est, conferre aliam gemmam memorabilem, limacem in basi exhibentem, et a Baudelotio datam (*o*). Narrat ibidem Cl. Winckelmannus, Marcum Antonium Sabbatinum habuisse gemmam, quae in corona Priaporum media exhiberet nudam foeminam, limaci insidentem, infra scripto verbo MESSALINA. Habemus satis acerbum iocum gemmae caelo mandatum; habuimus picturas contumeliosas: transeamus nunc ad numos antiquos. Atque primum quidem in iudicio de contumeliosis

numis

(*l*) *Sat. VI.* 129.

(*m*) apud Varronem de *L. L. VI.* p. 76.

(*n*) ad Plauti *Curcul. II*, 1. p. 274. et *Bacchid. III.* 1. p. 470.

(*o*) *L'utilité des Voyages.* (Paris. 1693.) p. 343.

nummis pronunciando admodum caute nos versari debere, monemus. Variae in nummis occurrunt imagines, variae conspiciuntur pecudum aliarumque rerum figurae, quae insoliti aliquid habeant, nouitate sua nos aliquantum turbent, neque tamen contumeliosae censendae sint. Duobus rem exemplis illustremus. Primum nobis praebebunt duo aerei nummi, a Doruillo ad Camarinam relati, in quibus caput formae admodum rotundae, totam faciem exhibens, densis cincinnis formam ambientibus, lingua ore exserta (*p*). Altera in parte alter sex, alter tres globulos habet. Posset alicui mira haec res videri, immo posset, linguam ore exsertam ridiculi caussa esse, aliquis suspicari. Verum errabit, quicunque eiusmodi aliquid in hoc nummo latere censuerit. Nam quemadmodum globuli pondus et valorem nummi indicant; ita in aduersa parte Medusae caput apparere, similia monimenta docent, vt viri docti recte tradiderunt. Quibus ab illis dictis hoc vnum addemus: praeter numum Pariorum cum capite Medusae linguam exserentis (*q*) esse in

A 5 Museo

(*p*) sunt in Doruilli *Siculis* Tab. XIV. n. 6. 7. vide *commentar.* p. 435.

(*q*) vid. *Thesaur. Palatin.* p. 242. et *Thes. Brandenburg.* T. I. p. 434.

Museo Etrusco (*r*) Mineruam plastico opere ex argilla confectam, quae scutum tenet, in quo Gorgonis caput ore exertam habet linguam, ideo, quod linguae vsus, vt Gorius dicit, id est, sermonis in omni re praestat, atque excellit. Quam interpretationem licet neque cuiquam obtrudere velim, neque ipse lubenter accipiam, illud tamen clarum est, nihil hic mysterii quaerendum esse. Dabimus alterum numum. Habet ille (*s*) in aduersa parte Romae caput, cum denarii nota, simulque asini caput, quod retro collum est: in altera parte sunt Dioscuri hastati in equis cum verbis M. IVNI ROM. In hoc numo si quis putet asini caput contumeliosum aliquid indicare, non recte iudicat. Quare etiam Hauercampius dicit (*t*): „Asini caput „mihi ad Brutorum cognomen spectare vide„tur, quod, vt indecorum, in numis expres„sum nemo cauilletur, quum Furii Crassipe„des pedem tumescentem, alii aliud, quod „simi-

(*r*) in T. I. tab. 31. vide Gorium in *comment.* p. 93.

(*s*) exstat in Goltzii *Fast. Magistrat.* p. 134. in Patini *Numism. Famil. Rom.* p. 139. in Vaillantii *Num. Fam. R.* T. I. tab. 77. et in Morelli *Thes. Famil. in numis Gent. Iun.* tab. 1. n. 3.

(*t*) in *Commentar.* p. 221.

similiter in dedecore poni posset, signaue-„
rint, ad nominis sui originem indicandam.„
M. Iunius Brutus id fecit, vt ab aliis Iuniis, qui „
Libonis, Perae, et similia gerebant cogno-„
mina, discerneretur „. Equidem facile viro docto assentior, omnem abesse debere cavillationem, sed causam, quam addit, me non recte capere fateor. Non nego, nomina saepe dedisse occasionem symbolorum in numis. In familiae Pinariae numis (*u*) manus extensa ad nomen Scarpi, et in numis Q. Voconii Vituli (*x*) vitulus eodem respicit. In numo Malleoli (*y*) est malleus supra caput expressus, et in numis Q. Pomponii Musae (*z*) apparet nouem sororum vna. Lucius Lucretius Trio (*a*) numo septem stellis insigniendo, et Lucius Valerius Asciculus (*b*) instrumento fabrili, quod acis

(*u*) in *Thes. Morellian. Famil. s. Fam. Pin.* n. 5. 6. et *Thes. Imper. s. Aug.* T. 31. n. 20. 22. 24.

(*x*) in *Thes. Brandenb. T. II.* p. 602. in *Thes. Morell. Imp. s. Iul. Caes. t.* 3. n. 18.

(*y*) in *Thes. Brandenb.* T. II. p. 572.

(*z*) *Ibid.* p. 576.

(*a*) *Ibid.* T. II. p. 561. et in *Thes. Morell. s. Fam. Lucret.*

(*b*) in *Thes. Brand.* T. II. p. 591. et in *Thes. Morell. s. Fam. Valer.* t. 1.

acis dicitur, proponendo nominis rationem habuerunt. Idem in aliis numis obſeruarunt viri docti: e quibus, ſi quis plura exempla deſideret, adire poterit Philippum a Turre (c), Hauercampium (d) et illuſtrem Car. Ferdinandum Hommelium (e), qui copioſius de hoc more Romanorum, a nominibus ſuis inſignium formam repetendi, expoſuerunt. Quomodo autem aſini ſymbolum ad Bruti nomen reſpiciat, nondum video. Aliam certe nominis huius cauſam memini Liuium (f) dare. *Ergo*, inquit, *ex induſtria factus ad imitationem ſtultitiae, quum ſe ſuaque praedae eſſe regi ſineret, Bruti quoque haud abnuit cognomen: vt ſub eius obtentu cognominis, liberator ille populi Romani, animus latens opperiretur tempora ſua.* Sed nolo plura de hac re diſputare. Nihil ignominioſi hic exhiberi, oſtendunt etiam numi, in quibus Dacia apparet, baculum ſeu vexillum tenens, cui impoſitum caput aſini (g). Nam,

(c) in *Monumentis Antii* p. 20. 21.

(d) ad *Theſaur. Morell. Famil. Rom.* p. 467.

(e) In *iurisprudentia Numiſmat.* p. 168.

(f) *Lib. I. c.* 56. 8. v. Ioſ. Scaliger ad *Pompon. Feſt.* L. II. ſ. v. *Brutus.*

(g) vid. Vaillantii *Numiſm. aer. Imper. in Colon. iure Latio donat. percuſſa.* T. II. p. 306. Anſelm.

Nam, vt Palatini verbis vtar (*h*), „ afinus „ *ἀήττητον* animal ab antiquis vocabatur, quod „ Homero locum dedit, Aiacem inter prae- „ liandum afino comparare. Sic liber diui- „ nus Iacobi et Leae filium nominat Iffachar „ feu afinum fortem, quod conftans effet, fir- „ mus et intrepidus. Daci ideo fortaffis dicti „ afini, quod afinos haberent in vexillis. „ Quibuscum conueniunt, quae Ludou. Iobertus (*i*) et Paulus Pedrufius (*k*) de afino Daciae infigni, fortitudinisque fymbolo dicunt. Quorfum vero haec? nempe vt intelligatur, non omnia, quae ludicram fpeciem habeant, lufus caufa et ridiculi inuenta editaque fuiffe.

Nunc accedamus propius, atque Graeca Latinaque numifmata perluftremus omnia, videamusque, an eorum quibusdam contumeliofum aliquid et fatyricum infit. Qua in re explicanda ita verfabimur, vt et afferamus ea, quae viris doctis fuper quibusdam numis

Anfelm. Banduri *Numifm. Imper.* T. I. p. 4. *Mufeum Farnefianum* T. IV. tab. 9. 1. *Imper. Rom. Num. Aur. ducis Croii et Arfchot.* t. 42.

(*h*) in *Numifm. Imperat.* p. 390.

(*i*) *dans la Science des Medailles antiques et modernes.* T. I. p. 403.

(*k*) ad *Mufeum Farnef.* l. c. p. 157.

numis in mentem venerunt, et, quae nostra sit de illorum opinionibus sententia, indicemus, atque etiam, quae nobis in numis primi obseruasse videamur, exponamus. Primum dicamus de numis minorum quorundam populorum, quorum paucos tantummodo inueni huc a viris doctis relatos esse.

Sunt Agrigentini numi, quorum altera pars habet aquilam leporem vnguibus prehendentem petentemque rostro, altera cancrum marinum (*l*). Refert hos numos Begerus ad Rheginorum tyrannum, Anaxilam, qui primus in Siciliam intulit leporem (*m*), inque suis numis signari curauit, et sub aquilis latere putat Theronem, Agrigentinum tyrannum, et Gelonem, a quibus ad Himeram cum Carthaginensibus victus est. Quae interpretatio si vera esset, haberemus numum satyricum satis antiquum. Sed cum non sine necessitate ad eiusmodi mysteria confugiendum sit, rectius docetur cum ab Hauercampio (*n*), tum in Doruilli *Siculis*,

(*l*) vid. *Thes. Brandenb.* T. I. 375. confer ibid. p. 338. adde *Musei Pembrochiani Numism.* T. II. t. 3.

(*m*) vid. Pollucis *Onomast.* V, 12, 75.

(*n*) ad Phil. Parutae *Sicil. Numism.* p. 416.

lis (*o*), aquila, paguro, lepore, reliquisque, quae in numis Agrigentinis apparent, animalibus indicari abundantiam, et copiam eorum animalium, aucupium et piscatum in iis locis. Similiter iudicemus de alio Phocaeensium numo (*p*), qui habet delphinum, cui a lupo vis infertur, conculcante illum et fauce appetente. Idem Begerus putat, Phocaeenses hoc typo crudelitatem et iniustitiam alicui, vel populo, vel regi, exprobrare voluisse, Romanosque, illorum vrbem diripientes, lupo indicari coniicit. Sed ipse suam opinionem alio loco (*q*) reiicere videtur, et imperium maris iactare Phocaeam credit. Populum imperium maris sibi vindicantem existimat etiam indicari Istrianorum numo (*r*), in quo aquila Delphino insistit, illumque rostro appetit. Quae nisi certa sunt, probabiliora tamen videntur iis, quae antea dixerat. Prioris certe numi typus alias quoque visitur. Quemadmodum igitur Faliscorum numum (*s*), vbi aquila ore

(*o*) in T. II. p. 352.
(*p*) in *Thes. Palatin.* p. 271.
(*q*) *Thes. Brand.* I. p. 494.
(*r*) Ibid. I. p. 488. et in *Palatin.* p. 266. add. *Museum Pembroch.* T. II. t. 12.
(*s*) in *Numis Bodleian.* T. IV. p. 257. adde notas p. 128.

ore vel vnguibus leporem discerpit, quem Fr. Wise non ausus est interpretari, symbolum venationis exhibere puto: ita idem statuendum esse censeo, de numo Veliensium (*t*), vbi leo ceruum prosternit. Nam nonne haec interpretatio multo facilior, simplicior, ideoque verior est, quam si ad victoriam, aut ad alicuius iniurias respici dixeris?

Neque ego puto in Graecorum numis aliquid inueniri, quo illi victis contumeliam iniuriamque adferre voluerint. Qua in opinione me inprimis confirmat illud, quod et apud Diodorum Siculum (*u*) lego, priscos Graecos non e saxis, sed, vt quamprimum interiret inimicitiarum memoria, e vulgaribus lignis statuisse tropaea, et Plutarchus (*x*) narrat, eos, qui primum lapidea atque

(*t*) *Thes. Brand.* I. p. 346.

(*u*) *Bibl. Hist. L. XIII.* p. 154. ed. Rhodom. τίνος χάριν οἱ πρόγονοι πάντων τῶν Ἑλλήνων ἐν ταῖς κατὰ πόλεμον νίκαις κατέδειξαν οὐ διὰ λίθων, διὰ δὲ τῶν τυχόντων ξύλων ἱστάναι τὰ τρόπαια; ἆρ᾽ οὐχ ὅπως ὀλίγον χρόνον διαμένοντα ταχέως ἀφανίζηται τὰ τῆς ἔχθρας ὑπομνήματα.

(*x*) in *Quaestion. Rom.* p. 273. T. II. (Francof. 1620.) Οὐδὲ παρ᾽ Ἕλλησιν οἱ πρῶτοι λίθινον καὶ χαλκοῦν στήσαντες τρόπαιον εὐδοκιμοῦσι.

atque aenea tropaea ſtatuerint, male audiuiſſe. Non eos igitur, qui omne iniuriarum veſtigium delere vellent, inimicitias tamen geſtas numis inſcribere, earumque memoriam omni aeternitati tradere voluiſſe, probabile videtur. Neque memini, vllum Graecorum numum eſſe, qui a viris doctis, quaſi contumelioſus et ſatyricus prolatus explicatusque ſit.

Ingrediamur Latium, ſimulque ampliorem multo ſpatioſioremque campum ingrediamur. Erunt enim nobis multo plura dicenda de numis quibusdam, qui nonnullis contumelioſi viſi ſunt. Quorum argumentis examinatis diligenter, noſtram ſententiam dicemus.

Spintriae appellantur numi quidam, altera parte numerum aliquem, altera monſtroſas libidines exhibentes. Hos ad irridendam incredibilem Tiberii libidinem cuſos putare quosdam, Addiſonus ſcribit (*y*). videamus, qua veritatis ſpecie illorum opinio firmetur. Memoriae prodidit de Tiberio Suetonius:

(*y*) *Remarcks of ſeveral parts of Italy.* Lond. 1705. ego vtor verſione Theotiſca, Altenburgi, 1752. p. 211.

nius (z): *Secessu vero Capreensi etiam sellariam excogitauit, sedem arcanarum libidinum: in quam vndique conquisiti puellarum et exoletorum greges, monstrosique concubitus repertores, quos spintrias appellabat, triplici serie connexi, inuicem incestarent se coram ipso, vt adspectu deficientes libidines excitaret.* Tacitus etiam rei meminit (a): *tumque*, ait, *primum ignota ante vocabula reperta sunt sellariorum et spintriarum ex foeditate loci ac multiplici patientia.* Praeterea huc pertinent duo alia loca Suetonii. Nam et de Caligula dicit (b): *Spintrias monstruosarum libidinum aegre, ne profundo mergeret, exoratus, vrbe submouit:* et de Vitellio (c): *Pueritiam, primamque adolescentiam Capreis egit, inter Tiberiana scorta, et ipse perpetuo Spintriae cognomine notatus: existimatusque corporis gratia initium et caussa incrementorum patri fuisse.* Rem multis verbis explicare non lubet: vix etiam licet (d). Liceat tantummodo addere ineditum adhuc epigramma Stratonis e codice bibliothecae Vinariensis:

Τρεῖς

(z) C. 43. p. 551. ed. Burm.
(a) in *Annal.* VI, 1.
(b) c. 16. p. 629.
(c) c. 3. p. 191.
(d) confer Turnebi *Aduers. L. V. c.* 1. p. 138.

Τρεῖς ἀριθμεῖ (*e*) τοὺς πάντας ὑπὲρ λέχος, ὧν δύο δρῶσιν,
Καὶ δύο πάσχουσιν· θαῦμα δοκῶ τι λέγειν.
Καὶ μὲν οὐ ψεῦδος. δυσὶν εἷς μέσσος γὰρ ὑπουργεῖ
Τέρπων ἐξόπιθεν, πρόσθε δὲ τερπόμενος.

Cui simile epigramma eiusdem Stratonis iam editum est (*f*). Redeo ad Tiberium. Hic vero primum non video, quomodo his Spintriis vti aliquis potuerit ad infamandas Tiberii libidines, et quale hoc genus Satyrae fuerit. Deinde, quod iam Addisonius vidit, numos hos Tiberii iussu cusos fuisse, inprimis inde probabile fit, quia eo in loco inuenti sunt, qui sedes fuit teterrimae voluptatis. Praeterea Suetonius de eodem Tiberio dicit (*g*): *Cubicula plurifariam disposita tabellis ac sigillis lasciuissimarum picturarum et figurarum adornauit, librisque Elephantidis instruxit, ne cui in opera edenda exemplar imperatae schemae deesset*, (quo in loco omnino *schemae* legendum est, pro *scenae*. nam σχήματα dici de turpibus figuris patet

 ex

(*e*) forte ἀριθμῶ.
(*f*) in Antholog. L. II. c. V. p. 188.
(*g*) l. c. p. 551.

ex iis, quae Spanhemius loco mox laudando dicit). Cum igitur in tabulis suas libidines depingi iusserit Tiberius, nonne probabile est, illum etiam numis easdem mandari voluisse et oculis proponi? Occurrunt etiam illae Spintriae in gemmarum sculptarum multis (h), atque Winckelmannus in vrna quoque sepulchrali turpem eiusmodi figuram conspexit (i). Sed priusquam ad alia transeamus, lubet doctorum virorum sententias de his Spintriis addere et examinare. Illustris ille incredibili doctrinae copia, summisque omnium aetatum viris adnumerandus Ezech. Spanhemius in aeterno opere (k) numero paucos eiusmodi numos exstare dicit, eosdemque raro occurrere. „Neque „tamen, pergit, vt verum fatear, certe colligi posse existimauerim, nummos illos „percussos sub Tiberio, quum neque id „tradat eo loco Suetonius, nec vlla caeteroquin memoria in iisdem sit expressa, quae „id

(h) *Description des pierres gravées d. f. B. de Stosch.* p. 267.

(i) *Geschichte der Kunst des Alterth.* T. I. c. 3. p. 85.

(k) *de Vsu et Praestant. Numism. Diss. XIII.* p. 520. sequ.

id indicet, sed tantum litterae numerales „ I. II. etc. Accedit abhorrens ab eiusmodi „ institutis Tiberii ingenium, qui in Capreensi „ secessu et remotus ab hominum conspe- „ ctu, impuras id genus voluptates sibi se- „ ponebat, neque illas, aere signari ad po- „ sterorum memoriam vellet. Vnde con- „ iiciebam aliquando, eosdem ad numos il- „ los theatrales haud incommode referri pos- „ se, qui in publicis et obscoenis spectaculis „ in vulgus magno numero spargebantur. „ Fundus erat mihi huius moris et instituti „ Martialis (*l*): „

Nunc veniunt subitis lasciua numismata „
nimbis „
Nunc dat spectatas tessera larga feras. „

Vides hic lasciua numismata, et simul co- „ piam et rationem eorundem, quae velut „ subitis nimbis ad spectatores theatrali licen- „ tia proiiciebantur: et quemadmodum alio- „ qui nimbos de donis theatralibus vsurpare „ noui Claudianum (*m*): „

Quippe velut denso currentia munera „
nimbo. „

B 3 Haud „

(*l*) L. VIII. ep. 78.
(*m*) *Cons. Prob. et Olybr.* v. 45.

„ Haud abs re proinde huc ſpectare vide-
„ bantur laſciui illi Romanorum numi adhuc
„ ſuperſtites, qui vſu et argumento hunc ipſum
„ morem comprobarent. Firmant id ipſum
„ egregie notae illae numerales, quales gemi-
„ nae occurrunt in aliis numis eiusdem magni-
„ tudinis et formae cum quadrigis vel effi-
„ gie Auguſti in anteriori parte, in auerſa
„ autem, numeri varii incluſae coronae lau-
„ reae, et quos non male ob Circenſium alio-
„ rumque ludorum celebritatem percuſſos col-
„ ligas. Vnde cadit etiam eorum argumen-
„ tatio, qui ideo laſciua id genus numiſmata
„ Tiberio adſcribunt, quod occurrunt non-
„ nulli eiusdem numi illinc cum eius effigie,
„ hinc cum numeris id genus. Neque tamen
„ negauerim, ex foedis illis ſchematibus Ti-
„ berii aut libris Elephantidis deſumi potuiſſe
„ obſcoenas illas numorum figuras, qui re-
„ liquae Floralium aut ſimilium ludorum in-
„ famiae ſub impuris principibus acceſſiſſent.
„ Sed de loco Martialis iudicent optimi ta-
„ lium arbitri, quum alioquin neque de ſpe-
„ ctaculis eiusmodi loquatur ibi poeta, quae
„ obſcoenis id genus figuris locum dare poſſe
„ videbantur, neque ignorem, laſciua ibi nu-
„ miſmata aliter vulgo ab interpretibus ſumi.
„ Qualia autem, quaecunque ibi a Bilbilitano

„ vate

vate designentur, lasciua vere seu cum ob-„
scoenis figuris numismata ad numerum„
XXIX. se obseruasse, coram mihi retulere„
praestantes Vrbis antiquarii. Plura tamen„
se vidisse ac ad numerum vsque XL. testa-„
tur Pyrrhus Ligorius in operibus ineditis.„
Haec Spanhemius: cui tamen de iis, quae de secessu Tiberii Capreensi dicit, ideo assentiri nequeo, quia hic ipse locus est, vbi Addisonus suo etiam tempore (iter vero in Italiam, ni fallor, fecit a. 1699.) eiusmodi numos inuentos fuisse dicit. Iam Capreas insulam *quaesiuisse illum flagitiis obtentui* Aurelius Victor (*n*) narrat. Quare nullum dubium est, quin illi numi ad Tiberium auctorem referendi sint (*o*). Spanhemii interpretationi addamus verba Patini (*p*).
"Nummi, hic inquit, cum Augusti effigie„
laureata vel radiata: III. X. XVI. Multi„
eiusmodi nummi variis numerorum notis„
ad XXXV. vsque excurrunt. credibile„
est, singulis tribuniciae potestatis annis ab„
Augusto cudi curatos fuisse. anno autem„
XXXVI. trib. pot. mortuus Augustus. Alii„
B 4 sunt„

(*n*) *de Caesar.* c. 3. p. 312. ed. Arntzen.

(*o*) conf. Rinck *de veter. Numism. potent.* p. 21. c. 3.

(*p*) ad *Numism. Imperat.* p. 29.

„sunt numi cum his notis, qui auersa facie „monstrosas spintriarum libidines exhibent, „sed hi Tiberio potius, quam Augusto tri„buendi videntur, sic enim Suetonius — „*Cubicula — sigillis — adornauit.* Quid „autem sigilla haec esse possunt, praeter im„pressas aeri figuras"? Verum equidem non puto, intelligi numos, quibus quomodo cubiculum adornari possit, non video: parua malim signa, fictilesque imagines explicare, quo sensu verbum etiam apud Plinium occurrit (*q*). Sed puto immerito ad Spintrias quosdam numos referri, in quibus nullum Tiberianae turpitudinis vestigium deprehendo, quique tantum ob numeri notam in hanc suspicionem mihi venisse videntur. Earum igitur numero non solum eximendos censeo illos, qui caput laureatum habent, numos (*r*), sed alium quoque aereum (*s*) in aduersa habentem puerum nudum alatum, dextra gladiolum tenentem et quasi ostendentem aliquid, sinistram tenentem ad frontem. capilli sunt passi, et, ni fallor, lauro implicati. Altera pars laureo in serto habet notam VII. Begerus numum hunc ita explicat:

(*q*) *Histor. Nat.* L. 36. c. 59. p. 756.
(*r*) in *Museo Pembrochiano.* T. III. tab. 79.
(*s*) in *Thes. Brand.* T. II. p. 611.

plicat: "Numiſma hoc ad ſeceſſum Ca-„ preenſem retuli, neque adhuc apparet ra-„ tio in contrarium. At nulla, infit Ar-„ chaeophilus, in numiſmate praeter nume-„ rum VII. inſcriptio eſt. Id ipſum, inquit„ Dulodorus, facit, vt coronam ad victo-„ riam quandam Veneream referamus, quam„ Cupido obtinuerit: at vbi certamina rerum„ Venerearum Capreenſibus Tiberii fuere po-„ tiora? Numiſma adeo obſcoenum non„ eſt, inquit Archaeophilus, vt Tiberii ne-„ quitiam exprimere credi poſſit. Equidem„ licet de ſeceſſu Capreenſi non negem, ta-„ men honeſtiori certamini et non Tiberio„ numiſma vindico. Quid enim? ſi ad ſeceſ-„ ſum Auguſti pertineat, et ſub Cupidine„ ephebus lateat ex eorum numero, quos ex„ veteri inſtituto exercentes Auguſtus ſpectaſ-„ ſe Suetonio c. 98. memoratur? Si hoc ſta-„ tuas, laurea non diffamabitur, ſed ſepti-„ mum victoris praemium indigitabit. Con-„ iectura, ſubiecit Dulodorus, futilis non eſt.„ Idem Begerus, dum alio loco (*t*) hunc nu-mum dat, haec notat: "Inſcriptione qui-„ dem caret, ex collato tamen Cupidine„ cum ſeceſſu Capreenſi, quo ſellariam ex-„

 cogita-„

(*t*) in *Theſ. Palatino* p. 293. adde Io. Iac. Geſneri *Numiſm. Antiqu. Imp. Rom.* t. 37.

„cogitauit, cubiculaque plurifariam dispo-
„sita tabellis et sigillis lasciuissimarum pictu-
„rarum et figurarum adornauit, facile col-
„legeris, lasciuum hunc Cupidinem figura-
„rum earum septimam fuisse, qui numerus
„intra lauream adscriptus est, forte quod
„strenuae haec militiae brabeum fuisset iis,
„quos Spintrias appellauit, et eum in finem
„conquisiuerat, vt triplici serie connexi co-
„ram ipso, vt Suetonius loquitur, se inui-
„cem incestarent. En egregium perditissi-
„morum in secessu facinorum monumen-
„tum"! Verum praeter necessitatem credo Begerum haec suspicatum fuisse. Nam si Cupidinem ipsum aspicio, (si lubet puerum existimare Cupidinem,) nullum video corporis obscoenum habitum, nullum turpiorem gestum. Est Cordiae gentis numulus (*u*), cuius aduersa pars caput Veneris exhibet, cum inscriptione MN (Manius) CORDIVS: auersa habet Cupidinem nudum saltantem, in dextra corollam, in sinistra palmam gerentem, cum verbo RVFI: quo typo ad Familiae Iuliae originem respici, recte Fuluius Vrsinus et Liebius docent. Habet alius (*x*) etiam numus Caracallae, qui vrbem

(*u*) in *Gotha Numaria*. p. 228.
(*x*) in Patini *Num. Imper*. R. p. 308.

bem Tomos celebrat, puerum alatum ad pyramidem stantem, quem Patinus putat Tomitas in honorem Ouidii signasse. Quod vero ad numeros attinet, nonne iniustum est, ideo, quoniam in spintriis eaedem notae occurrunt, alios quoque numos, nihil obscoeni prae se ferentes, ad illas referre? Nonne etiam eaedem notae in numis conspiciuntur, quos minime illis adnumerandos esse clarissimum est? Habemus non paucos numos (*y*) ex aere minimo Augusti, vbi etiam numeri varii in media laurea corona apparent: altera pars modo funambulos habet, modo virum in citis bigis, modo caput laureatum. quare etiam Hauercampius (*z*) eos ad sacros ludos, qui quotannis fieri solebant, pertinere arbitratur. Dat Goltzius eorum multos (*a*) et Ludou. Nonnius (*b*) per singulos tribunitiae potestatis annos a primo vsque ad XXXVI. signatos esse docet. Quid dicamus de alio numo e Goltzii tabulis a Morello prolato (*c*)? In aduersa parte sunt duae

(*y*) in *Thes. Morell. Numism. Imper. Aug.* Tab. XLIII.

(*z*) in *Commentar.* p. 413.

(*a*) in *Numismat. Augusti.* t. 68.

(*b*) in *commentario* ad illa. p. 86.

(*c*) in *Numism. aer. Tiberii.* v. p. 627.

duae figurae sedentes, quarum altera rotundum aliquid supra genua tenet, altera laeua instrumentum tangens, dextram eleuans ad arietem in muro stantem: ad latus parietis arbor est: supra legitur MOIA. in auersa numerus XIII. in lauro. Non credo, aliquem hic decantatam satis de Goltzii fide cantilenam repetiturum esse, cum verissime a Wachtero (*d*) dictum esse mihi persuaserim: „Fidem huius perdocti artificis et praecipui „antiquitatis numariae instauratoris, Golt-„zii inquam, tot numis testatam, quos veros, „non fictos esse, experientia post obitum „eius docuit, porro suspectam habere, ho-„die non licet, postquam totus paene anti-„quariorum chorus sinceritatem eius agno-„vit". Quare quicunque etiam sit symbolorum in hoc numo sensus, recte tamen puto Hauercampium docere, hos numos neque Senatus Consulto neque monetae gratia cusos esse, sed, velut Saturnalitios, annum imperii eius, qui tum imperauerit, inscriptum habere. Idem censet Hauercampius de alio numo Mitreiae gentis (*e*), qui in corona laurea numerum XI. habet: quo putat annum imperii,

(*d*) in *Archaeologia Numaria* p. 59.

(*e*) vid. *Thesaur. Morell. Famil.* et Hauercamp. p. 287.

imperii, quem tunc Augustus egerit, indicari, numum vero ipsum extra ordinem cusum, vt inter Saturnaliorum munuscula donaretur. Sed de numis Saturnalitiis infra dicemus plura. Haec ideo disputauimus, vt, exemplis similibus numorum, qui numeri notam habent, laudatis, ostenderemus, non esse eos, quos supra indicauimus, ad Spintrias referendos.

Non opus est, vt diu moremur in alio numo, in quo Io. Georg. Eccardus (*f*) nescio quam Satyram sibi inuenisse visus est. Numus ille argenteus caput habet foemineum velatumque, cui verbum P I E T A S. additum. Auersa exhibet foeminam sedentem, laeua hastam puram, dextra extenta Palladium gestantem, vestitamque toto corpore, nisi quod medio pectore nuda. Adduntur litterae S. C. et infra V E S T A. Eccardus conspicit hic Vipsaniam Agrippam, maiorem Marci Agrippae natu filiam, quam primo Tiberius duxerat, sed, Augusto vrgente, licet iam filio Druso

(*f*) in *Epistola ad Abb. Luc. Gerhard. de numis explicatu difficilioribus.* Lipsiae 1722. vnde numum transtulit et rem repetiit Hanthaler in *Exercitation. de num. veter. P. I. Dial.* XIV. p. 96. vide numum etiam in *Museo Pembrochiano* T. I. t. 37. et Io. Iac. Gessneri *Numism. Ant. I. R.* t. 31.

Druso ex ea suscepto, dimittere debebat, Iuliamque ducere. Latere vero hic putat *aliquid calliditatis Tiberianae*, atque, cum Vesta praeses fuerit castitatis, eum hac sub imagine fidem Vipsaniae coniugalem extollere, Iuliae vero coniugi sceleslos amores tacito emblemate exprobrare voluisse. Verum tota haec opinio nullis argumentis firmatur. Primum enim quomodo mihi probabit Eccardus, in Vipsaniae honorem hunc numum cusum esse? quomodo me refutabit, si Iuliae aut Liuiae numum tribuerim? Deinde vnde mentem consiliumque Tiberii Eccardus diuinauit? Nonne in quam plurimis Augustarum numis Dea Vesta conspicitur? In Etruscillae (*g*), Iuliae Titi (*h*) filiae, Plotinae Traiani (*i*), Sabinae Hadriani (*k*), numis habemus Deae huius cultum. Iuliae Seueri

(*g*) vid. *numos maximi moduli* adiect. *Num. Praest. Imper. Rom.* Vaillantii. T. III. p. 194. edit. Rom.

(*h*) v. ibid. T. II. p. 102. *Museum Pembrochian.* T. III. t. 50. et adde *Medailles Monnoyes & Monumens ant. d'Imperatrices Rom. du Sieur le* Menestrier. p. 7.

(*i*) Vaillant. l. c. p. 131.

(*k*) idem ibidem p. 154. v. *Museum Farnes.* T. VI. t. 39.

Seueri numus (*l*) habet quatuor maiores figuras cum duabus minoribus sacrificantes ante templum Vestae, vt ex addito verbo VESTA apparet, et numus Cornel. Saloninae (*m*) Vestam stantem exhibet. Ex his intelligitur, non adeo rarum esse castitatis symbolum Deam Vestam in numis Augustarum, vt ideo altius quidquam latere suspicari debeamus.

Sequitur alius numus, quem Seguinus edidit, Satyricum censuit, et copiose explicuit (*n*). Cuius sententia vt eo melius perspiciatur, totam orationem huc transferre lubet. "Numus est mihi plumbeus, magni-„ tudine denarii Romani argentei, pondere „ tantillum maiori, antiquus citra omnem „ dubitationem. Ab vna parte coronam vi- „ des, ab altera digamma, cui insitus est pal- „ mae ramus cum hisce notis IO. SAT. IO. „ Fateor, vt ad familias Romanas et numos „ Consulares sum propensior, me illum pri- „ mo intuitu retulisse ad C. Sentium Sa- „ turni- „

(*l*) v. *Numismat. Cimelii Caesarei Regii Vindobonensis* T. I. tab. 3. n. 5.

(*m*) vid. ibid. t. 4. n. 12. adde *Mus. Farnesian.* T. IV. t. 23.

(*n*) in epistola addita *Numismat. Select.* p. 195.

„turninum, qui consul fuit anno V. C. „DCCXXXIIII. Nec certe pluribus litteris, „quam his tribus S A T. Saturnini cognomen „expressit Fulu. Vrsinus in vltimo Sentiae „familiae numo. Sed adhibita diligentiori „meditatione animaduerti me aberrasse a „scopo, et ad inferiora tempora me demit„tens sub imperio Ti. Claudii cusum fuisse „hunc numum, omnino mihi persuasi. Ac „primo constat grauissimorum virorum au„ctoritate, Claudium quamuis in admini„strando Imperio, immo et priuata domo, „stolidissimum, tamen reperisse tres litteras, „quas reliquis iam inuentis adiecit: atque „inter eas praecipue numerari digamma fa„cie litterae Ⅎ inuersae, vt in hoc numo „cernitur. De tribus litteris testatur Sueto„nius his verbis": *Nouas etiam commentus est litteras tres, ac numero veterum quasi maxime necessarias addidit, de quarum ratione cum priuatus adhuc volumen edidisset, mox princeps non difficulter obtinuit, vt in vsu quoque promiscuo essent.* „Sed et Cor„nelius Tacitus idem affirmat, postquam „de litterarum inuentoribus prolocutus est". *Claudius*, inquit, *tres litteras adiecit, quae vsui, imperitante eo, post oblitteratae, adspiciuntur etiam nunc in aere publicandis*

plebisci-

plebiscitis per fora et templa fixo. " At „ vero de Digamma solo Quintilianus ait, non „ inutiliter Claudium Aeolicam illam Ⅎ ad „ vsus litterarum adiecisse. Quin et doctis- „ simi viri, Lipsius et Torrentius, fatentur, il- „ lud Digamma in vetustis aeui Claudiani „ marmoribus passim occurrere, vt *pomoe-* „ *rium terminaℲit ampliaℲitque*, sic *Octa-* „ *Ⅎia, DiℲi Augusti, XV. Ⅎir* pro, Octauia, Diui „ Augusti, XV. vir. et similia. Cum igitur „ Digamma solis Claudii temporibus viguerit „ et, eo per boletum sublato, desierit esse in „ vsu, vt patet ex Tacito; atque etiam in in- „ scriptionibus, ipso imperante, exaratis, quae „ huc vsque remanserunt, reperiatur: existi- „ mo et numum nostrum eo imperitante cu- „ sum fuisse. Hoc vt liberius credam, ad- „ ducunt me reliqua, quae in vtraque ipsius „ nummi parte insculpta cernuntur, nimi- „ rum corona, palma et notae IO. SAT. IO. „ quorum omnium argumentum ad solius „ Claudii tempora et res in iis gestas referri „ posse arbitror. Ac primum notas illas IO. „ SAT. IO. sic explico: IO. SATVRNA- „ LIA. IO. Auctor mihi et fundus est Dio, ex „ quo, nisi me fallit animus, coniecturam „ meam eruditis approbabo. Expeditionem „ aduersus Britannos Claudius impulsu cuius- „

 dam „

„dam extorris susceperat, sed cum exerci-
„tus Gallici, quos in Insulam praeire iusse-
„rat, abnuerent, indigne ferentes, se in al-
„terum veluti orbem amandari, et cunctatio-
„ne sua commodum belli tempus tererent;
„Claudius adhuc in Vrbe commorans, rei cer-
„tior factus, Narcissum libertum, cuius gra-
„tia apud Imperatorem semper fuit maxima,
„ad eos misit. Ille receptus intra castra,
„legati tribunal ausus est conscendere, vt
„milites adloqueretur, sed indignati, eius-
„modi homuncionem munera Imperatoris
„obire et vsurpare, in risum et cachinnos
„effusi conclamauerunt: Io Saturnalia Io!
„et Narcissum auersantes, ad A. Plautium le-
„gatum conuersi in Insulam traiecere. Ne-
„mo nescit, in festis Saturnalibus, quae per
„aliquot dies mense Decembri agebantur,
„Romae equites, immo et Senatores, abiecta
„toga, solitos synthesim induere (id breuis
„et seruilis vestis genus) ac seruis accum-
„bentibus et epulantibus ministrare, cum
„interim togas induerent isti, et in omni-
„bus dominorum vices gererent. Ita iocus
„ille militaris, quo Narcissi exploditur au-
„dacia, et carpitur incuria Claudii, qui li-
„bertorum mancipium audiebat, in hoc nu-
„mo expressus videtur post adeptam victo-

„riam:

riam: quod conuenit cum antiquo reipubli- „ cae more, quo in triumphis milites Impe- „ ratori victori et triumphanti ſolebant per „ ſales et facetias illudere. Palmam et „ coronam ad victoriam pertinere, clarius „ eſt, quam vt explicatione indigeat, ſed illam „ eſſe Britannicam, perſuadent omnino ſupra „ dicta. Et certe Claudius ipſe, qui, auditis „ ſuorum rebus egregie geſtis, Roma aduene- „ rat, vt huic bello praeſens aliquam glorio- „ lae partem captaret; poſt deuictos Britan- „ nos tanti fecit hanc victoriam, vt, quamuis „ dies non amplius ſexdecim in Britannia „ egiſſet, praeter nomen imperatorium in „ exercitu vetuſto more ſumtum, etiam Bri- „ tannici nomen acceperit, Senatusque ei de- „ creuerit triumphum, ludos annuos et ar- „ cum trophaea ferentem in Vrbe, aliam- „ que in Gallia, vnde in Britanniam ſolue- „ rat, et ipſe poſt peractum magnificentiſſi- „ me triumphum etiam Conſularibus ac Se- „ natoribus, qui ei in hac militia affuiſ- „ ſent, triumphalia inſignia conceſſerit. Vt „ mirum videri non debeat, ſi in tanta et „ tam communi omnium alacritate, etiam „ palmae et coronae numis inſculptae ſint: „ quemadmodum et in aliis cuiuscunque „ metalli arcus huiusmodi cum trophaeis et „

„ statuis equestribus descriptos habemus. Sed „ vt ex omni parte constet, numum nostrum „ rite Britannicum vocari, et in ea Insula „ plures cudi solitos plumbeos (quamuis alii „ velint esse stanneos), memini me vidisse „ numum eiusdem ponderis et metalli etc." Haec Seguinus. Cui, nummo hoc et incuriam Claudii et Narcissi audaciam notari existimanti, assentitur Christ. Frider. Ruhe (*o*), qui copiose Digamma Claudianum explicat, de quo consulere etiam potes, quos laudat Burmannus (*p*). Dant eundem numum Spanhemius (*q*) et Patinus (*r*), opinionem vero Seguini non attingunt. Sed Baudelotius (*s*) non solum exhibet, sed explicat etiam, quasi Saturnalitium, festoque Iouis diei sacratum, ita: IOVI Ⅎ ICTORI SATVRNALIA IO: aut IOVI Ⅎ ICTORIA SAT. IO: quoniam non putat Digamma negligendum esse. Equidem nactus hic locum pluribus explicandi, quam supra attigi, opinionem, Saturnalitiorumque numorum rationem

(*o*) in *Specimine Philologiae Numismatico-Latinae Primo*. cap. II. p. 43. v. Tab. I. n. 28.

(*p*) ad Quintiliani *Instit. Orat.* I, 4. p. 40.

(*q*) *dans les Cesars de l'Empereur Iulien*. p. 2.

(*r*) ad *Suetonium*. Tab. XXI. n. 2.

(*s*) *L'utilité des Voyages*. p. 509.

rationem enarrandi, vt reliqua eo facilius intelligantur, de Saturnaliorum celebritate ea repetam, quae huc facere videantur.

Fuerunt, qui plumbeos numos quotquot restant, a falsariis effictos putarent: forte, quod pauciores ad nostram aetatem peruenerunt, quam cusi ex aliis metallis. Quod tamen non aliter esse potuit, cum plumbum omnium metallorum mollissimum temporis edacitati minime resistere queat. Sed praeclare, praeter Baudelotium (*t*), et Ludov. Sauotium (*u*), illustris Schlaegerus (*x*) plumbeae monetae apud veteres vsum bene confirmauit, et contra Hotomannum, Io. Smetium, Burc. Gotth. Struuium et Io. Reiskium eos numos non ignotos fuisse Romanis ostendit. Atque ne repetam, ipsam illam legem Corneliam (*y*), qua, qui dissentiunt, maxime nituntur: „*ne quis nu-„ mos stagneos, plumbeos, emere, vendere „ dolo malo vellet*„ probare vsum nummorum plum-

(*t*) libro laudato p. 656. et p. 595.

(*u*) *dans le Discours sur les Med. antiqu.* L. II. c. 1. p. 43. sequ. confer *Mus. Pembrochianum.* P. III. t. 114.

(*x*) *de numo Hadriani plumbeo* c. 3. p. 18. sequ.

(*y*) *L.* 9. §. 2. *ff. ad leg. Cornel. de fals.*

plumbeorum, cum nemo numos cudat, qui in commercio reprobentur, atque ideo omnino illorum vsum fuisse ex hac lege appareat: habemus clara veterum scriptorum testimonia. Nam et Plautus dicit:

Cui homini hodie peculi numus non est
plumbeus (z),

alioque loco:

Cui, si capitis res sit, numum nunquam cre-
dam plumbeum (a).

et Martialis:

— *togatulos inter*
Centum merebor plumbeos die toto (b).

Baudelotii opinio haec est: licuisse tempore Saturnaliorum complura seruis facere, iisque permissum fuisse; hos plumbeos numos cudere: eorum vsum per illorum dierum hilaritatem fuisse, nec vllius alius monetae. Quod mihi tamen aliter videtur. Constat Saturnalibus quam maxime ludis variis indulsisse Romanos. Testantur hoc plures scriptores. Martialis dicit:

Vnctis

(z) in *Casin.* II, 3, 40.

(a) in *Trinum.* IV, 2, 120.

(b) L. X. ep. 74.

Vnctis falciferi senis diebus,
Regnator quibus imperat fritillus (*c*):

et idem alio loco (*d*),

Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc et hinc fritillis,
Et ludit rota nequiore talo,

Gellius (*e*): *Saturnalibus Athenis alea quadam festiua et honesta lusitabamus.* Suetonius (*f*): *Aleae rumorem nullo modo expauit,* (Augustus) *lusitque simpliciter et palam oblectamenti causa, etiam senex ac praeterquam Decembri mense, aliis quoque festis profestisque diebus.* Macrobius denique (*g*): *vultisne diem sequentem, quem omnes abaco et latrunculis conterunt* etc. Iam vt ad antiqui temporis, quo nullus auro honor, morem accederent, non auro illos et argento deposito lusisse legimus. Classicus est locus Luciani (*h*): *Alea ludere, an consuetum his, qui sub te* (scil. Saturne) *viuebant? omnino. Sed non de talentis et denis drach-*

 marum

(*c*) L. XI. ep. 7.
(*d*) L. IV. ep. 14.
(*e*) Noct. Attic. XVIII, 13.
(*f*) *August.* c. 71.
(*g*) Lib. I. c. 5.
(*h*) in *Saturn.* c. 8. p. 391. T. III.

marum millibus, vt apud vos, sed summum de nucibus, ne doleret victo, nec ploret et solus semper cibo abstineret. Epulemur nunc et plaudamus, et libertate iam fruamur, deinde ludamus alea, de nucibus more veteri. Similia de nucibus dicit Martialis:

Saturnalitias mittimus ecce! nuces (*i*).

Lucianus etiam alio loco (*k*) inter leges Saturnalitias, non a magistratu quodam datas, sed vsu et more receptas, probatasque, recenset etiam hanc: *Super omnia alea de nucibus ludunto: si quis pecuniam luserit, postridie esurito.* Quem ludendi morem dum considero, verissime mihi de ludis Saturnalitiis explicare videor numum illum (*l*), qui in aduersa caput foeminae, cum litteris C. S. habet, in auersa quatuor talos cum verbis: QVI LVDIT ARRAM DET QVOD SATIS SIT. nam si illas litteras explices per *Consulto Saturni*, aut, *Consuetudine Saturnaliorum*, aut *Concilio* aut *Conuiuio Saturnaliorum* (*m*) [vix enim probabile, in ludicri argumen-

(*i*) *Mart. L. VII. ep.* 90.
(*k*) in *Cronosolon.* c. 13.
(*l*) datur numus a Seguino in *Numism. Select.* p. 12. Baudelotio l. c. p. 676. et cel. Hommelio in *Iurisprudent. Numismat.* p. 67.
(*m*) confer Evelyn *Disc. of Medals ant.* p. 23.

argumenti numo locum habere poſſe verba: Senatus Conſulto] auerſa belle reſpondet aduerſae parti. Sed ſuſpicor etiam, numos eos plumbeos inprimis inſeruiiſſe ludentibus: ne, quod ſi argentum depoſuiſſent, accidiſſet, aliquis damnum acciperet, adeoque illa hilaritas turbaretur, qua tum temporis omnia redundare debebant. Praeſtiterunt igitur numi plumbei eandem fortaſſe iis operam, quam noſtra aetate aenei iis, qui, non lucri, ſed temporis fallendi cauſſa ludunt.

Porro hic erat mos Saturnalibus, vt ſibi munera mitterent amici, aurea, argentea, fictilia, veſtes, fructus, libellos, alia. Saepe fit horum donorum mentio apud Martialem:

Omnia miſiſti mihi Saturnalibus, Vmber,
Munera, contulerant quae tibi quinque dies.
Bis ſenos triplices, et dentiſcalpia ſeptem:
His comes acceſſit ſpongia, mappa, calix.
Semodiusque fabae cum vimine Picenarum,
Et Laletanae nigra lagena ſapae:
Paruaque cum canis venerunt coctana prunis,
Et Libycae fici pondere teſta grauis (n).

(n) Lib. VII. ep. 52.

et alio loco (*o*):

> *Saturnalia diuitem Sabellum*
> *Fecerunt; merito tumet Sabellus* etc.

Sed non solum haec, verum etiam numos donatos fuisse ex aliis locis intelligitur. Martialis sunt versus (*p*):

> *Nulla remisisti paruo pro munere dona,*
> *Et iam Saturni quinque fuere dies.*
> *Ergo nec argenti sex scriptula Septitiani,*
> *Missa nec a querulo mappa cliente fuit*
> *etc.*

Clarius Suetonius (*q*) de Augusto: *Saturnalibus, et si quando alias libuisset, modo munera diuidebat, vestem, et aurum, et argentum:* modo numos omnis notae, *etiam veteres regios ac peregrinos: interdum nihil praeter cilicia et spongias et rutabula et forcipes atque alia id genus, titulis obscuris et ambiguis.* quibus vocabulis aliquid subesse obscoeni Beroaldus et Torrentius censent. Diligenter considerandum esse censeo, quod Suetonius narrat, *numos omnis notae* donatos esse. Summa eo tempore erat hilaritas: nil, nisi conuiuia

(*o*) L. IV. ep. 46. adde IV, 19. V, 48. V. 19. Macrob. *Sat. L. I. c.* 7.
(*p*) *L. IV. ep.* 88.
(*q*) in *August.* c. 75.

conuiuia laetaeque voces audiebantur: *ius luxuriae publicae datum eft*, ait Seneca (*r*): quomodo feueritas, quae vrbe exulabat (*s*), in numis comparere potuit? Eos igitur numos, qui figuras aut ridiculas, aut quae alias non confpiciuntur, habent, eosque numos, quos non ad hiftoriam pertinere clarum eft, omnes Saturnalitios effe cenfeo, id eft, Saturnalibus cum ad hilaritatem augendam, tum ad ludum, tum ad donanda munufcula, atque etiam, vt tefferae effent in ludis fpectandis, e variis metallis confectos. Refero huc cum eos, quos fupra Spintriis exemi, aliosque a Pignorio (*t*) allatos, tum de pluribus viris doctis affentior. Illum numum, qui caput altera parte, altera equum facie humana, cuius tergore Cupido infiftit, habet, recte ioci caufa cufum effe putat le Pois (*u*). Quod

(*r*) *Epiftol.* XVIII.

(*s*) potes confulere Torrentium ad *Sueton. Aug*. c. 71. p. 384. ed. Burm. Spanhemium ad *Iuliani Caefar*. p. 2. Io. Franc. Simonem in differt. *de l'origine des Saturnales* dans *l'Hift. de l'Acad. des Infcr. et bell. lett.* T. II. p. 78. fequ.

(*t*) in libro *de feruis* ad p. 248.

(*u*) dans *le Difcours fur les Medailles et Graveures antiques, principalement Romaines.* T. III. n. 3. p. 78.

Quod vero omnem dubitationem tollit, in ipsis numis clarissima documenta originis inuenimus. Tres recensebimus. Primus (*x*) habet Saturni caput diademate reuinctum, subtusque falcem messoriam perticae insertam cum inscriptione SAT: in altera apparet membrum genitale, supra quod luna, cometes, inter anguem et duo astra. Recte hunc numulum argenteum ex Saturnalitiis missilibus fuisse Hauercampius (*y*) existimat. Alter, quem Baudelotio (*z*) debeo, habet auem cum verbo: SATVRNALIA MA. quibus quid potest clarius ad nostram sententiam stabiliendam esse? Tertius denique est hic Claudii, cuius causa haec disputatiuncula instituta fuit. Non puto illum ad contumeliam cuiusquam cusum fuisse. nam illa exclamatio videtur satis vsitata eo tempore et Saturnaliorum hilaritatis quasi propria fuisse. Certe apud Martialem (*a*) legimus:

Clamant ecce mei, io Saturnalia! versus,
Et libet, et sub te praeside, Nerua, licet.

Quid

(*x*) *Thes. Morell. Fam. Incertar.* T. IV. L.
(*y*) in *Commentar.* p. 466.
(*z*) *L'util. des Voyag.* p. 660.
(*a*) XI, 2. 6. adde *Obseruat. Miscell. Vol. V.* p. 200.

Quid igitur prohibet, quominus fimpliciter hoc Saturnalitium carmen numo impreffum effe dicamus? quid nos ad abftrufa et difficilia, et recondita confugere cogit? Digamma ideo, credo, in numo apparet, quia, nifi ipfius Claudii iuffu, certe illius tempore ab aliquo adulatore cufus effe videtur, qui fe putabat rem gratam illi facturum effe, gratiamque Caefaris captabat. Memini Heinfium dicere (*b*): *Romae veteres e plumbo numos, quibus lo Saturnalia infcriptum, memini videre.* Verum vtrum de hoc, an de aliis loquatur, nefcio, quia non plura ipfe addidit. Equidem hoc vnum addam: illum, qui noftram opinionem de Saturnalitiis numis, fatis, ni fallor, firmatam, probauerit, rectius iudicaturum effe de multis numis, in quibus explicandis alii operam perdunt, mifereque fudant.

Ecce! vero complures hic eruditi nobis occurrunt, Satyramque in numis, nec eam leuiffimam oftendunt. Porcum aiunt deuictae Iudaeae fymbolum effe, atque fymbolum hoc ad Iudaeorum effe contumeliam vfurpatum. Ita certe Iobertus exiftimauit, (*c*): *Le*

(*b*) ad *Petron. c.* 58. p. 380.
(*c*) *dans la Science des Medailles.* T. I. p. 413.

Le Porc, inquit, *marque la Judée asservie, parce que Vespasien et Hadrien, pour dompter les Juifs, les contraignirent à souffrir sur la porte de Ierusalem la figure de cet animal, qu'ils avoient en horreur.* Quibus verbis statim etiam addamus verba Io. Bimardi (*d*), quibus Ioberti opinionem refutauit. *On seroit*, inquit, *fort embarassé de citer une seule Medaille, sur laquelle on voye un Porc represente. Jusqu'à present on n'y a vû qu'une Laye avec ses petits, et ce type n'a aucun rapport avec la Judée asservie par Vespasien et par Hadrien.* Sed opus est, vt eos numos, qui hoc nomine suspecti sint, accuratius describamus et examinemus. Primus est numus Vespasiani, qui inscriptionem IMP. XIX. et scrofam cum suculis habet: alter est Titi eandem figuram cum verbo: IMP. XIII. exhibens. Qui hunc numum dant, Oiselius et Pedrusius, ita eum interpretantur. „Ille (*e*), in opprobrium, inquit, Iudaeorum post Victoriam Iudaicam „Vespasiani et Titi Impp. videtur haec sus „cum suculis impressa, quasi Iudaeis ex„probrans,

(*d*) in notis *ad Iobert.* p. 430.

(*e*) in *Thes. Numism. Select.* p. 85. ad Tab. XVI. 11. numus Vespasiani est in Tab. CXIV. 10. atque in *Museo Pembroch.* T. III. t. 39.

probrans, nunc etiam scrofis vna cum suculis „ suis libere per vniuersam Iudaeam vagari „ et oberrare licitum, vnde antea a Iudaeis „ excludebantur „. Pedrusius (*f*) de Vespasiani numo dicit: *In tal oggetto si rimarca un' ignominia espressa de' Giudei in obbrobrio de' quali approvò Vespasiano, che la della Scrofa fossa qui improntata*, et de Titi (*g*): *Il rovescio dà a vedere una Scrofa co' suoi Animaletti, come pure comparve in un simile Impronto fatto per Vespasiano e dirizzato a ludibrio de' Giudei.* A quibus dissentiunt alii viri docti. Nam ille Vespasiani argenteus numus a Morellio etiam datur (*h*), explicaturque ab Hauercampio (*i*): "Foecundum animal scrofa est, vnde ad anni vbertatem referri potest, vel respici ad Aeneae „ ostentum, quum ille plura sub matre scrofa viderit „. De Titi vero aureo numo, qui ibidem (*k*) exhibetur, Gorius dicit (*l*): "Expressum mihi videtur hoc emblema ad „ decla- „

(*f*) in *Museo Farnesiano*. T. II. t. 20. n. 7. p. 339.
(*g*) *Ibid.* Tab. 21. n. 7. p. 354.
(*h*) in *Thes. Numism. Imper. s. Vesp.* T. X. n. 31.
(*i*) in *commentar.* p. 298.
(*k*) *Numism. aur. Titi.* T. VI. n. 43.
(*l*) in *commentar.* p. 351.

„ declarandam imperii sub Tito felicitatem: „ nam sus foeta, ni fallor, indicat nouam „ eamque auspicatissimam Romani imperii, „ quasi renati, originem, eamque aeternam „ fore, certam ac quietam tanti Principis „ sedem, quod faustissimum fuit omen An- „ chisae ad Aeneam et Ascanium". Cumque alius sit argenteus numus (*m*), vbi in antica caput Caesaris cum verbis: CAESAR VESPASIANVS, in postica IMP. IIII. et Scrofa: neque de hoc reliquis assentitur (*n*), qui contumeliosos numos hos existimant, ad quos etiam Begerus (*o*) referendus esse videtur. Sed, quasi non contentus duobus, tertium quoque Hadriani numum Oiselius addit (*p*). Est ille sine inscriptione, in „ quo, inquit, scrofa siue sus cum suculis aliquot expressa in opprobrium haud dubie Iudaeorum: ad exemplum Vespasiani „ et Titi Impp. qui etiam numos cudi curauerunt, post expugnatam Hierosolymam „ cum scrofa et suculis". Nostrum est nunc, quantum veri his opinionibus insit, examinare.

(*m*) *ibid. Tab.* VII. 22.

(*n*) in *Commentar.* p. 359.

(*o*) in *Thes. Brandenb.* T. I. p. 148.

(*p*) l. c. Tab. CXIV. 9. p. 559. adde Spanhemium *de Vs. et Pr. N. Diss.* VI. p. 563.

nare. quod vt eo melius fiat, rem paullo altius repetemus.

Cum armis omnem simultatem poni debere, vnaque cum bello omnem discordiarum caussam tollendam esse, veteres Romani sibi persuasisse videntur. Quare deuictos hostes nullo modo irritare, aut contumeliae exponere, sed omne inimicitiarum vestigium delere voluit prisca Roma, quae hostes etiam in ciuitatem recepit, atque hac siue vera humanitate, siue humanitatis simulatione rebus suis bene consuluit.

Haec est, in gremium victos quae sola recepit,
Matris, non dominae ritu, ciuesque vocauit,
Quos domuit, nexuque pio longinqua reuinxit (q).

Hinc iis temporibus nulla tropaea statuerunt, quae deuictis ignominiosa essent, nulla monimenta, quibus contemtum eorum prae se ferrent, exstare Romani voluerunt, abhorruerumtque maxime a Sesostris, Aegyptiorum regis, moribus, qui in cippis, victoriae caussa positis, membrum virile, si victi populi

(q) Claudian. *de laud. Stilic.* III. 150.

puli viriliter se gessissent, muliebre, si cum imbellibus certasset, exhibuit (*r*). Sero demum et bello Allobrogico confecto, id est, a. V. C. IↃCXXXIII. prima tropaea statuerunt. Testatur hoc Florus (*s*). *Vtriusque*, scribit, *victoriae quod, quantumque gaudium fuerit, vel hinc existimari potest, quod et Domitius Aenobarbus, et Fabius maximus ipsis, quibus dimicauerant, in locis saxeas erexere turres, et desuper exornata armis hostilibus tropaea fixere: quum hic mos inusitatus fuerit nostris. Nunquam enim populus Romanus hostibus domitis victoriam suam exprobrauit.* Noui quidem, ipsum Florum sibi contradicere videri, atque alio loco (*t*), vbi de bello Gallico loquitur, dicere: *de torquibus eorum aureum tropaeum Ioui Flaminius erexit.* Sed puto recte haec sibi constare. nam et, quod Dukerus dicit, tropaea Fabii et Domitii prima fuisse, quae Romani in hostico posuissent, reliqua vetustiora Romae collocata fuisse, probare, et mea etiam coniectura Floro succurrere potes, Flaminium aureum Ioui simulacrum e torquibus Gallorum conflatum obtulisse, illudque

(*r*) Herodot. I. 102. Diodor. Sicul. L. I. p. 51.
(*s*) *Epit.* L. III. 2.
(*t*) L. II. c. 4.

que quasi tropaeum fuisse. Nam iam Romulum Ioui spolia opima consecrasse, notum est (*u*). Tropaeorum vero erigendorum more recepto, non profecto ad victorum populorum contumeliam ea monimenta spectauerunt. Nihil prae se ferebant aut ridiculi, aut acerbi.

Vota Deûm primo victor soluebat Eoo.
Ingentem quercum, decisis vndique ramis,
Constituit tumulo; fulgentiaque induit arma,
MezentI ducis exuuias: tibi, magne, tropaeum,
Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, et bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis: clipeumque ex aere sinistrae
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum (*x*).

D 2 Eandem

(*u*) Liuius in L. I. 10. Festus *de Verb. sign. s. v. opima spolia.*

(*x*) in *Aeneid. XI. a v.* 4. adde Statii *Theb. II.* 704. et consule Spanhem. *de Vs. et Praest. Num.* T. II. p. 220. et Bulengerum *de Triumpho* c. 3.

Eandem moderationem in aliis quoque monimentis ostendebant. Quid habent Romanorum numi, quo victae nationes se irrisas esse queri iure potuerint? quibus exemplis nostra aetas abundat. Modo in nummis, ob victorias percussis, Victoria tropaeum coronat: modo alte volans duci imponit coronam: modo illi, thoracem calcanti vel clavum, laurum praebet: modo prouinciae deuictae prope tropaea, quasi lugentes, sedent: modo victori dona tradunt victae vrbes (*y*). Duriores reliquis videntur illi numi, qui captiuum calcatum aut ab equitante duce subuersum exhibent. In numo (z) Serdicae, quae Vlpia ab Vlpio Traiano appellata, Caracalla captiuum, vno genu nixum, sinistro pede calcat, siue Britannum, siue Germanum, siue aliquem Armeniae regem. Constantius paludatus dextra hastae innixus, sinistra oliuam tenens, captiuum pede premit (*a*). id quod etiam Theodosius

(*y*) vid. Suaresii *dissert. de Numismatis* c. 14. et, si lubet varia insignium victoriarum monimenta videre, euolue *Museum Pembrochian.* T. III. tab. 66.

(z) in Froelichii *Adpend. ad Num. Vrb. Graec. loqu.* p. 275.

(*a*) vid. *numism. aenea maximi moduli e Museo Pisano, olim Corrario* tab. 77.

sius facere conspicitur (*b*), sinistra victoriam ferens, dextra labarum. Postumus etiam tergori captiui pedem imponit (*c*). Neque hoc solum Imperatores habitu exhibentur, sed etiam ipsa Victoria Dea. Haec in numo Decentii (*d*) calcat captiuum: talisque etiam in numo Magnentii (*e*) apparet, atque in alio Constantini iunioris (*f*). In Constantii numo (*g*) videmus eam properantem cum palma et tropaeo, ad pedes supplice iacente captiuo. In alio Honorii (*h*) figura galeata cum globulo, cui victoria insistit, et labaro; pedem pectori captiui imponit; et in numo Traiani (*i*) calcatur captiuus a muliere cum cornu copiae et ramo oleae. Videtur hoc symbolum victoriae illis temporibus admodum vulgare fuisse. Nam occurrit non semel apud poetas quoque for-

D 3 mula

(*b*) in *Imperat. Roman. Numism. Aur. Caroli ducis Croii et Arschotani.* t. 59.

(*c*) v. Tristani *Commentair. historiqu.* T. III. p. 142.

(*d*) in *Numism. Pisanis.* t. 86.

(*e*) v. *Numism. moduli maximi ex Cimel. Ludouici XIV.* p. 39.

(*f*) in *numism. Arschot.* t. 53.

(*g*) Ibid. t. 54.

(*h*) in *Museo Farnesiano.* T. I. t. 24.

(*i*) Ibid. T. II. t. 30. n. 9.

mula *calcare ceruices* hostium, pro victoria potiri. Apud Ouidium legimus:

Ipse pede imposito caput exitiabile pressit (*k*).

et alio loco:

Plus tibi, quam Iuno, nocuit Venus; illa premendo
Sustulit: haec humili sub pede colla tenet (*l*).

Propertius etiam dicit (*m*):

Tum mihi constantis deiecit lumina fastus,
Et caput impositis pressit Amor pedibus.

Etiam ille Statii locus de Maximo Domitiani equo:

vacuae pro cespite terrae
Aenea captiui crinem terit vngula Rheni (*n*).

comparari potest cum similibus numorum typis. Saepe enim deiectus captiuus ab magno

(*k*) *Metam.* VIII. 425.
(*l*) *Heroid.* IX, 11.
(*m*) Eleg. I, 1. 3. vbi vide Brouckhusium, et consule ill. Schlaegerum *de gemma Isiaca* p. 89.
(*n*) *Syluar. I.* 1. 50.

magno impetu irruente imperatore cernitur in numis. Talem proterentem victum exhibent Seuerum Samiorum numus (*o*), et Domitianum (*p*), Magnentium, Florianumque numi (*q*). Duo memini tantum me obſeruare numos, reliquis omnibus paullo duriores et acerbiores. Alter eſt ille (*r*), vbi Paulus apparet cum tropaeo, et Perſeus genibus nixus, cui lictor manus poſt tergum vincit, tergorique vno pede inſiſtere videtur. Alter eſt (*s*), in quo Conſtantinus ſub Martis habitu capillis trahit captiuum. Quos numos ſi quis aſperitatis aliquid habere dixerit, facile aſſentiar. Sed non puto exſtare quosdam, qui iure contumelioſi dici poſſint, aut comparari debeant cum Titi aut Veſpaſiani numis, ſi, illos ad ignominiam et irriſionem Iudaeorum ſpectare, credere velimus. Quare probabile potius eſt, Romanos antiquum morem obtinuiſſe, neque devictam Iudaeam riſui expoſuiſſe. Quid contra me dici hic poſſit, facile praeuideo.

D 4 nempe

(*o*) in *Numiſm. Piſanis*. t. 35. n. 2.
(*p*) in *Muſeo Farneſian*. T. VI. t. 18. 3. 4.
(*q*) in *Triſtani Commentar*. p. 268..646.
(*r*) in *Vaillantii Numiſm. Famil. R*. tab. IV. et Spanhem. *de Vſ. et Pr. N. Diſſ. X*. p. 228.
(*s*) in Triſtani *Comment*. T. III. p. 537.

nempe summo in contemtu fuisse, Iudaeos, irrisosque saepius ab ingeniosis Romanis, qui, quoties risum excitare voluerint, illorum nomine vsi videntur (*t*), atque adeo facile fieri potuisse, vt in ipsis numis eundem contemtum prae se ferrent Romani. Vbi dabo, eorum ritus et mores Romanis mouisse risum: largior, cum imperatores a deuictis gentibus sibi nomina imposuerint, vocatique sint *Britannici*, *Germanici*, *Parthici*, *Armeniaci*, nullus vero Iudaicus, eos ex contemtu gentis noluisse hoc nomen reliquis addere: [Nam quomodo in numo (*u*) Vespasiano ab Agrippa rege, anno XXI. regni, dicato ob victam Iudaeam, cum inscriptione: ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΩΚΥΙΑΣ ΕΤΕΙ ΚΑ. ΑΓΡΙΠΠ. quomodo igitur Pagius (*x*) haec vertere potuerit: *Iudaicus*, *Elliacus*, ego nullo modo video, cum, si verba tantum adspexisset, intellexisset, haec vertenda esse: *Iudaea capta*. Ideo error viri docti est turpis

(*t*) v. c. *Martial. IV*, 4. *Horat. Serm. I*, 9. 70. adde ill. Schaegeri diss. *de fontibus praecipuis*, *ex quibus profanorum scriptorum errores circa res Iudaicas admissi fluxerunt*: praefixa *dissertat. Rarior. Fascic. I.* p. 20.

(*u*) in Vsserii *Annal.* p. 687.

(*x*) in *Critica Baronian.* ad a. C. LXX. p. 67.

pis et emendandus.] addo etiam locum Cassiodori (y): *His Coss. Aelia Ciuitas, id est, Hierusalem ab Aelio Hadriano condita est, et in fronte eius portae, qua Bethleem egredimur, sus sculptus in marmore, significans, Romanae potestati subiacere Iudaeos.* vbi velim attendant lectores, Cassiodorum non dicere, hoc contumeliae causa a Romanis factum fuisse, atque etiam Romanos respicere potuisse ad scrofam Albanam. Non, quod docte docuit Spanhemius (z), hic repetam: Iudaeis in variis Asiae, Aegypti, aliarumue, vbi nati erant, vel habitabant, regionum vrbibus, aequum ius ciuitatis a Romanis fuisse firmatum, suis legibus viuendi arbitrium illis concessum, a Romanis cum iis facta foedera, omnium eosdem iurium participes factos fuisse, quibus reliqui Romano imperio subiecti fruebantur. Illud dico, cuius argumenti puto aliquam vim esse debere, nullum exstare in omnibus numis, qui victoriae de Iudaeis reportatae memoriam seruent, vestigium contemtus. Iudaea victa ita plerumque apparet, vt adsideat foemina, specie lugentis, palmae, cui adiacent arma, adstatque vir paludamento indutus,

 siue

(y) in *Chronico* p. 29. (ed. Lugd. 1595.))
(z) in *Orbe Romano.* c. 15. p. 99. ed. Halens.

siue Imperator ipse, siue captiuus (*a*): aut alio modo assidens foemina palmae. In alio numo Vespasiani (*b*) est tantum tropaeum, cum inscriptione DE IVDAEIS: in alio mulier tristis tropaeo assidens, cum verbo IVDAEA. Comparent, qui huius rei cognoscendae studio teneantur, alios numos Titi (*c*) cum victoria et tropaeo Iudaeae captae, atque palma. Pertinet huc inprimis numus Hadriani (*d*), in quo Imperator togatus dextram porrigit mulieri in genua procidenti, circa quam tres pueri stant, manusque supplices Imperatori tendunt, quos quasi in gratiam et tutelam recipit, addito verbo IVDAEA. Quomodo igitur probabile alicui videri potest, eumdem Imperatorem Iudaeos deuictos, quorum in tot numis non alia fit mentio, quam aliorum populorum, irridere voluisse?

Sed

(*a*) in *Thesaur. Palatin.* p. 85.

(*b*) *Thes. Brandenb.* T. II. p. 630.

(*c*) vid. Ibid. T. III. p. 105. T. II. p. 635. Patini *Sueton.* tab. XXX. Patini *Num. Imp. R.* p. 141. 147. Oiselii *Thes. Num. Select.* T. XVI.

(*d*) vid. *Numismata Pisana.* tab. IX. et Oiselii *Thes. Numism. Select.* T. XVII.

Sed dicendum eft tandem, quid fymbolo porci Imperatores declarare voluiffe putem. Quare faciam illud, vt diligentius, quam a quoquam factum effe animaduerti, porci fymbolum in numis obuium explicemus. Nam hoc nos illud effecturos effe arbitramur, vt nemo pofthac de Satyra in Iudaeos cogitet.

Primum memoriae proditum eft (*e*), antiquiffimis temporibus Romanos numis pecudis fuisque imaginem impreffiffe. Hoc, quae reftant, antiqua monimenta (*f*) clare teftantur. Porro videmus porcam in numis, quibus foederis percuffi memoria traditur.

Poft idem inter fe, pofito certamine, reges
Armati Iouis ante aram, paterasque tenentes
Stabant, et caefa iungebant foedera porca (*g*).

Memora-

(*e*) Plutarch. in *Poplicol.* p. 103. Βοῦν ἢ πρόβατον ἢ σῦν ἐπεχάραττον τῶν νομισμάτων τοῖς παλαιοτάτοις.

(*f*) vid. *Bouteroue Recherches curi. des Monoyes de France* p. 73. 75. et Montfauconii *Antiqu. expl.* T. III. p. 154. 156.

(*g*) *Aeneid. VIII.* 639. adde *Aen. XII*, 169. Ciceron. *de Inuention.* L. II. c. 30. Sueton. *in Claudio* c. 25.

Memorabilis eſt numus (*h*), cuius in vna parte Auguſti caput, cum epigraphe: IMP. CAES. AVGVS. TR. POT. VIII. in altera duo Feciales ſolemni modo velati, porcam ſupra aram accenſam tenentes, cum inſcriptione: FOED. P. R. CVM GABINIS. C. ANTIST. VETVS. In denariis (*i*) quibusdam ſacrificulus ingeniculatus porcam manibus ſupra ſolum tenet ſtantem: poſt illum haſta erigitur: hinc et inde quatuor viri ſunt, coeuntes ad foedera, atque bacillos tenentes manibus, quibus porcam tangunt. In numis Veturiae gentis, quanquam alii eos Vettiae tribuere malunt (*k*), auerſa in medio habet Fecialem genu ſubnixum, porcum tenentem, cui duo viri haſta innixi adſtant, forte conſul praetorue Romanus et gentis exterae imperator, dextraque bacillos tenentes, iisque

(*h*) in Wildii *Numiſmat. Selećt. T.XXI.* n. 126. adde in *commentar.* p. 167.

(*i*) v. Morellii *Theſ. Fam. Incert.* T. I. 3. *Theſ. Brandenb.* T. II. p. 592. *Liebii Gotham Numar.* p. 216. et 447. Morell. *Theſ. Num. Imper. ſ. Aug.* T. XIX. 12. 13. in *comment.* Hauercampium p. 312. et Wiſium ad *Numiſm. Bodlei.* p. 178.

(*k*) vid. Perizonii et Morellii *epiſt. mutuas de num. conſular. R.* (additas diſſ. Perizonii *de aere graui*) p. 136. 164. 239.

iisque tangentes porcum (*l*). In nummo alio (*m*) duo Feciales dextras porrigunt supra aram, in qua porca iacet. Haec de foederibus, quae porco caeso facta esse notum est, et docent ex antiquis scriptoribus Iac. Gutherius (*n*) et Claudius Nicasius (*o*) aliique. Porcus enim militaribus in signis a Romanis exhibebatur. Festus (*p*): *Porci effigies inter militaria signa quintum locum obtinebat, quia, confecto bello, inter quos pax fieret, caesa porca foedus firmari solebat.* Non assentior quidem Baronio (*q*), qui, quod Vitellio, Syriae praesidi, contra Arabum, regem Aretam, bellum gesturo ductu-roque exercitum per Iudaeam, occurrerunt princi-

(*l*) vid. *Morell. Thes.* ibid. n. 1. Patini *Numism. Famil.* p. 289. adde eiusdem *Suetonium* T. XX. n. 2. Spanhemium *de Vs. et Pr. N. Diss. X.* p. 204. Begeri *Obs. et Coniect. in Numism. quaedam Antiqua.* p. 22. Franc. Car. Conradi *de Fecialibus et iure feciali P. R.* p. 96.

(*m*) in Vaillantii *Num. Fam. T. I.* p. 75. adde *Thes. Morell. Famil. Antistiae.*

(*n*) *de iure pontificio L. IV.* c. 18. in T. V. *Thes. Graev.*

(*o*) *dans l'explicat. d'un ancien Monument trouvé en Guienne dans la Diocese d'Ausch.* c. 12.

(*p*) L. XIV. p. 356.

(*q*) ad a. 137. n. 3.

principes, et, cum imagines inferri nefas dicerent, ob signa militaria eidem transitum negarunt (*r*), illud ideo factum esse censet, quia porcum Romani inter signa militaria gessissent. Nam et aquila Iudaeis inuisa erat, quam nolebant portae magnae ab Herode imponi (*s*): et videtur hoc signorum genus antiquiorum temporum fuisse. Interim non inepte equitem suem hastae extremae affixam pro signo gerentem deprehendit Morellius in numo (*t*). Denique etiam in sacrificiis porcus offerebatur diis, eiusque rei testimonia dabunt numi. Memorandus est ille numus (*u*) cum inscriptione ROMA, et Victoria tropaeum coronante, ad cuius pedes est porcus. Frequentiores sunt numi, qui porcum Cereri sacrificatum fuisse testantur. Morem hunc narrat Varro (*x*): *ab suillo genere pecoris immolandi initium primum sumtum videtur: cuius vestigia, quod initiis Cereris porci immolantur, et quod initiis, pacis foedus cum feritur, porcus occiditur.*

(*r*) vid. Iosephum in *Antiqu. Iud.* L. XVIII. p. 884. ed. Hauerc.

(*s*) v. Ioseph. *Ant. Iud.* L. XVII. p. 843.

(*t*) in *Specim. Rei Numar.* p. 246.

(*u*) in Gorlaei *Thes. Numism.* t. 40. n. 7.

(*x*) *de Re Rustica* L. II. c. 4.

ditur. Priſci quoque Latini et etiam Graeci in Italia idem feciſſe videntur. Cui alius Ouidii locus addendus:

— prima putatur
Hoſtia ſus meruiſſe mori, quia ſemina pando
Eruerit roſtro, ſpemque interceperit anni (y).

Atque alio loco (z):

Prima Ceres auidae gauiſa eſt ſanguine porcae,
Vlta ſuas merita caede nocentis opes.

Sed aſpiciamus numos: quorum vnus (*a*) habet caput Cereris in altera parte, ſcrofam in altera cum verbo ΑΘΕ: complures Eleuſinii (*b*) habent porcum modo corona myrtea incluſum, modo clauae inſiſtentem. Quis vero ignorat numos Vibiae gentis (*c*), qui

(*y*) in *Metamorph. XV.* 111. adde Nicolaum Kederum *de antiquo et perraro numo Othini.* p. 34.
(*z*) Faſt I. 349.
(*a*) in Haymii *Theſauro Britannico.* T. I. p. 178.
(*b*) Ibidem p. 219.
(*c*) vid. Oiſel. *Theſ. Numiſm.* T. 51. 7. *Morell. Theſ. Fam.* Vib. T. I. n. 7. Gorlaei *Theſ. Num.*

qui habent Cererem cum facibus Proserpinam quaerentem simulque porcum. Quare ego quoque, quia satis vulgare hoc fuit sacrificii genus, numum quendam singularem longe alius explico, quam vulgo fieri solet. Habet ille (*d*) vna cum inscriptione C. COEL. CALDVS. COS. caput, cui additus paruus porcus. putant vulgo esse aprum et respici ad victoriam ab Hispanis reportatam. Sed veram interpretationem dat epigraphe alterius partis: L. CALDVS. VII VIR. EPVL. Hac enim considerata, nonne multo probabilius est, ad Septemuiratum respici in aduersa parte, illiusque symbolum dignitatis esse porcum? His disputatis, remotisque, quae contradici possent, eo facilior nobis erit interpretatio numorum, de quibus dicere coepimus. Existimamus vero iis Romanorum primordia indicari, et felix omen Aeneae oblatum. Varronis est locus (*e*): *Hinc post triginta annos oppidum alterum conditur*

Num. R. t. 35. et 36. Spanhem. *de Vs. et Pr. N. Diss. X.* p. 57.

(*d*) exstat in Patini *Famil.* p. 80. Vaillantii Famil. t. 44. Spanhemii l. c. *Diss. X.* p. 85. *Numis Bodleianis*, t. VI. *Museo Pembrock.* T. III. t. 9.

(*e*) *de Ling. Lat.* L. IV. p. 35. (edit. Paris. 1581.

conditur Alba, id ab sue alba cognominatum. Haec e naui Aeneae cum fugisset Lauinium, triginta parit porcos. Ex hoc prodigio post Lauinium conditum, anneis triginta, haec vrbs facta, propter colorem suis et loci naturam Alba Longa dicta. Nolumus, quae huc pertinent, Dionysii Halicarnassei (*f*) et Aurelii Victoris (*g*) testimonia repetere: tantum e Virgilio (*h*) orationem adscripturi:

> *Signa tibi dicam: tu condita mente teneto,*
> *Quum tibi sollicito, secreti ad fluminis vndam,*
> *Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus,*
> *Triginta capitum foetus enixa, iacebit*
> *Alba, solo recubans, albi circum vbera nati:*
> *Is locus vrbis erit, requies ea certa laborum.*

Hoc igitur omen frequentissime repetiere Romani, non solum in gemmis (*i*), sed in numis

(*f*) *Antiqu. Rom. I.* c. 56. p. 44. ed. Hudſ.

(*g*) *de origin. Gent. Rom.* c. 11. vbi vide Arntzenium p. 23.

(*h*) *Aeneid.* III. 388.

(*i*) vid. *Thes. Brandenb.* T. I. p. 147. *Musei Florent. Gemm. II. t.* 53.

numis quoque. Primus est ille (*k*), qui in aduersa habet duo capita iugata penatium et coronata, cum litteris D. P. P. in auersa sunt duo penates, hastati et militari habitu cum porca: additum: C. SVLPICI. C. F. Q. Non probo eos, qui hic feciales sibi deprehendere videntur, nec Goltzium (*l*), qui sine vlla probabilitatis specie praetorem Vrbanum et peregrinum inuenit. Sed verisimile potius est, indicari penates, indicari illam triginta foetu enixam scrofam; et, quia Sulpicius Quirinus Lauinii ortus, filium hunc cudisse. Triginta capitum foetum quae peperit sus, apparet etiam in Antonini Pii numo (*m*): et in alio eiusdem Imperatoris insigni, qui inprimis huc pertinet, numo (*n*) apparet sus cum suculis et Aeneas Anchisem humeris

(*k*) vid. *Thes. Morell. Fam. Sulpic.* T. II. 3. Hauereamp. in *Comment.* p. 407. *Thesauri Pembrochiani Numism.* P. III. t. 8. adde *Thes. Brandenburg.* T. II. p. 588. et Baudelot. *dans l'Util. des Voyag.* p. 180.

(*l*) in *Fastis Magistrat. et Triumph.* p. 95.

(*m*) vid. *Thes. Brandenb.* T. II. p. 666. Patini *Numism. Imp.* p. 214. *Numophylacium Reginae Christinae* t. 16.

(*n*) v. Spanhemium l. c. *Diss. VI.* p. 364. et *Numism. max. moduli e Cimel. Ludou.* XIV. p. 6.

humeris ferens. Quo typo nonne ad vetuſtiſſimam hiſtoriam reſpexit Imperator? quod ſi conſideramus, poteſtne alicui dubium videri, quin idem in numis, quos ſupra enarrauimus, propoſitum fuerit Veſpaſiano, Tito, Hadriano? Referamus igitur potius illos ad originem gentis Romanae, quam ad Iudaeorum contumeliam.

Quo longius in his numis explicandis moratus ſum, eo breuior ero in alio, cuius interpretatio Satyrica non veritate, non argumentis, ſed coniecturis tantummodo nititur. Nos vero non quaerimus, quae ſpecioſa ſint dictu, quae ingenii ſpeciem habeant, ſed quae veritatis laude, certe ſummae probabilitatis nitore ſplendeant.

Eſt numus, quem non memini in vllo libro commemorari, plane ſingularis, a Chamillardo, cuius nomen rei numariae ſtudioſis non ignotum erit, inuentus, explicatusque in Triuultinis ephemeridibus (*o*), atque ad Fauſtinam matrem relatus. Habet ille caput Fauſtinae, cum epigraphe: DIVA FAVSTINA. In auerſa Ceres globo inſiſtens,

(*o*) *dans les Memoir. de Trevoux.* a. 1703. Nouembr. p. 326. exſtat etiam in Woltereckii *Electis Rei Nummar.* p. 107. ſequ.

ſtens, quauis manu taedam tenens, cum verbo SOVSTI. S. C. quidam SCOVTI legit: alius dicit, vna manu illam taedam ardentem, alia papauer habere: aut potius plantam huic Deae ſacram, quam *agnum caſtum* appellant: immo idem ad ſiniſtrum latus eſſe dicit titionem, ſiue potius ſerpentem. Quantum in hoc numo explicando acumen ingenii oſtendere viri docti elaborauerint, incredibile fere eſt. Alius putat, monetarii errore hoc verbum ortum eſſe, legendumque AVGVSTA. Alius ſibi obſeruaſſe viſus eſt ante primum S genus quoddam materiae incendiariae, in ignibus artificialibus vſitatum, numum in opprobrium Fauſtinae cuſum eſſe cenſet, verbumque explicat: FVLMEN SACERDOTALI ORDINI VENENVM SENATVI, TAEDA IMPERIO, contenditque fulmen loco F. appoſuiſſe monetarium, quo magis verum animi ſenſum celaret. Alius interpretatur: SENATVS OB VOTA SVSCEPTA TEMPORE INFIRMITATIS. Chamillardus ipſe coniicit: SACERDOTALIS ORDINIS, aut ſi C ſit altera inſcriptionis littera, SACERDOTALIVM COLLEGIORVM VRBIS SENATVS TRIBVNI IVSSV: putatque ad puellas Fauſtinianas reſpici. Turneminus denique

nimis

nimis ingeniose suspicatur: auctorem numi his litteris duplicem Faustinae cum Cerere conuenientiam indicare voluisse: nam et explicari eas posse: SALVS ORBIS VXOR SATVRNI TERRAE IMPERANS: et alio modo sic: SIC OMNIVM VXOR SIC TERRAS INCENDIT. Quam abusi sint ingenio suo viri docti, facile apparet. Patet vero etiam, pertinere hoc numisma ad illa, de quibus Georg. Vionnet cecinit (*p*):

Sunt tamen et dubiis quae saepe numismata mentes
Suspensas habuere notis, interprete nullo
Expedienda, viris necdum bene cognita nostris.

Mihi inprimis, qui numum non oculis vidi, difficile est de eo iudicare. Quare tantum paucis meam sententiam dicam. Iam primum ne opus quidem est, vt moneam, illas interpretationes meris coniecturis inniti, nullo argumento firmari; eadem libertate reiici posse, qua prolatae sunt. Nam si ita numos interpretari licet, quis me reprehendat, aut quis mihi succenseat, si dixerim, litteras explicandas esse sic: *Sine Omni Vtilitate*

(*p*) in *Museo Nummario* v. 69. p. 12. ed. Helmstad.

litate Sectamini Tantas Ineptias: aut *Solatis* Tantopere Ineptire. Si hoc nefas esse clamauerit quispiam, quaeram ex eo, quibus argumentis mihi persuasurum se esse credat, illas interpretationes esse probabiliores. Praeterea non Latinum est: *tempore infirmitatis:* neque formulam: *taeda imperio*, prisca Roma dignam censebit, qui de his litteris recte iudicet. Deinde imago Cereris, facibus armatae, non adeo insolita est, vt ideo obstupescere debeamus, et ad coniecturas eiusmodi descendere. Cur cum facibus pingatur Ceres, apparebit ex Ouidio (*q*), vbi de raptu Proserpinae loquitur:

— — illa duabus
Flammiferas pinus manibus succendit ab Aetna;
Perque pruinosas tulit irrequieta tenebras.

Cui adde locum Statii (*r*):

Qualis, ab Aetnaeis accensa lampade saxis,
Orba Ceres magnae variabat imagine flammae
Ausonium Siculumque latus, vestigia nigri
Raptoris, vastosque legens in puluere sulcos.

Hinc

(*q*) *Metamorph.* V. 441.
(*r*) in *Thebaid.* XII. 270.

Hinc fortasse etiam mos λαμπαδηδρομίας et λαμπαδηφορίας in mysteriis Eleusinis ortus est, de quo Statius:

Tuque Actaea Ceres, cursu cui semper anhelo
Votiuam taciti quassamus lampada mystae (s),

quemque in antiquo marmore conspicimus (*t*), vt alia veterum scriptorum testimonia praeteream, vt Claudiani (*u*):

templumque remugit
Cecropidum, sanctasque faces extollit Eleusis.

et Iuuenalis (*x*):

— *Quis enim bonus et face dignus*
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos.

quae omnia Io. Henr. Eggelinus (*y*) et Ez. Spanhemius (z) praeclare exposuerunt. Pariter

(*s*) Sylu. L. IV. ad *Iulium Menecratem*, c. 8. v. 50.
(*t*) vid. Iac. Sponium in *Itinerar.* T. II. L. V. p. 283. et Whelerum in *Itinerar.* L. VI. p. 429.
(*u*) *Rapt. Proserp. I.* 9.
(*x*) *Sat. XV*, 141.
(*y*) *Mysteria Cereris et Bacchi. in vasculo ex onyche.* in T. VII. Thes. Gronou. p. 69.
(*z*) in *Epist. IV. ad Andr. Morellum* p. 229. adde Meursium *de Eleusiniis.* c. 26. et van Dale in *Diss. VI. ad marmora antiqua.* p. 502.

riter Cererem cum facibus exhibent et monimenta antiqua, e quibus signum aeneum dat Causeus (*a*), et numi, vt Lucii Septimii Seueri (*b*), et alii (*c*). Serpens praeterea cum spica et duobus papaueribus in alio quoque Faustinae numo (*d*) occurrit, et a viro docto pro symbolo amoris coniugalis sumitur. Quare neque hoc quenquam turbare debet. Neque enim serpens aliquid insoliti habet. Quot enim in monimentis Iouem, Iunonem, Mineruam, Bacchum, Isidem, Apollinem, Aesculapium, Hygaeam conspicimus, quibus serpentes additi sunt, modo pedibus iuncti, modo manibus aut brachiis (*e*): quod cur factum sit, et ab aliis iam exposita causa est, et a nobis, ad alia properantibus, explicari pluribus nequit. Veniamus ad ipsam inscriptionem, quam solius

(*a*) in *Museo Romano* T. I. S. 2. t. 13.

(*b*) in Froelichii *Adpendice ad Num. Vrb. Graece loquent.* p. 235. et 243. add. *Quatuor Tentamin.*

(*c*) v. c. in *Numism. Aur. Imp. I. Ducis Croii et Arschot.* t. 38.

(*d*) in Tristani *Comment. T. I. p.* 612.

(*e*) v. Begerum *de numis Cretensium serpentifer.* p. 11. Io. Bapt. Passerium in *Thes. Gemmar. astriferar.* T. III. 203. Montefalconium in *antiquit. explic.* T. I. p. 369. et alios.

solius monetarii errori deberi puto. Noui quidem, quam vere dixerit Froelichius (*f*). "Sunt nonnulli arguto ingenio, qui, quae „ alii monetariorum menda aut libere appel- „ lant, aut merito suspicantur, ipsi arbitren- „ tur mysteria. Hic enimuero eruditionis „ et foecundae imaginationis vim omnem ex- „ serunt, nouas vetustatis eruendae semitas „ rimantur et ingenii sui ductum, vt cum poe- „ ta loquar,

Quaque est difficilis, quaque est via nulla, sequuntur. „

Sed puto tamen, neminem negaturum esse, in numis quoque deprehendi erroris, stuporis et negligentiae clarissima vestigia. Euoluat mihi aliquis Froelichii, quem modo laudaui, curiosa diligentia conscriptum libellum, et exempla ab eo data consideret. Inveniet omissas esse alias litteras, alias esse transpositas; adiectas alias vitiose. Docet ille luculentis testimoniis in numo Traiani esse: OPTIMO, et in altera parte: CONSENCAVTIO: in alio Aurelii: DES. NOS. S. C. in alio Decii: VERITAS pro VBERITAS: in alio: CONMAXANTINVS. Taceo alia exempla, alibi ex-

 stantia:

(*f*) *de numis monetariorum veterum culpa vitiosis.* p. 367. l. c.

ſtantia (*g*), de quibus omnibus veriſſimum eſt Ioberti iudicium (*h*): *Ce ſont des monſtres, dont il ne faut pas faire des miracles, et ſur quoi il ne faut jamais rien etablir.* Neque illius opinio eſſet reiicienda, qui diceret, hunc numum pertinere ad male recuſos (*i*). Nam interdum numi, quodam typo ſignati, alio rurſus typo notati ſunt, priori forma non plane abolita, ita, vt vtriusque veſtigia exſtent in numo, confuſas figuras litterasque exhibente: id quod tum accidiſſe docte demonſtrant periti harum rerum viri, cum noui Imperatores ſui memoriam citius plurimis numis imprimere voluerint, neque ſatis adeſſet argenti, aut aeris; tum eos veteres numos, malleo tantum, vt priſtina forma deleretur, contuſos, nouo typo ſignaſſe: atque hinc, ſi non omne veſtigium veteris typi abolitum, et nouae et veteris formae veſtigia in recuſo numo comparere. Atque ego, licet valde in his rebus timidus ſim, videor mihi tamen numum reperiſſe, cuius ope ille optime poteſt explicari. In altera parte epigraphe: DIVA

FAVSTI-

(*g*) in *Muſeo Pembrochiano.* T. III. t. 108. et 109.

(*h*) *dans la ſcience des Medaill.* T. I. p. 340.

(*i*) vid. Froelichium l. c. p. 434.

FAVSTINA, in altera Ceres cum duabus facibus et verbum AVGVSTA apparet (*k*). Credo neminem fere meorum lectorum tam difficilem fore: quin lubenter mihi assentiatur, illumque numum nullum esse alium dicat, quam hunc, sed recusum, talique modo corruptum. Certe, si sine partium studio rem expenderit quispiam, quam prope coniectura mea a veritate absit, intelliget. Satis sit, demonstrasse, falso illum numum ad Satyricos referri.

Venio ad Faustinam iuniorem, quae qua impudicitiae fama laborauerit, eiusdem vestigia in numis quidam deprehendunt, auctore Addisonio (*l*). Habet ille numus altera parte caput Faustinae, altera militem nudum cum clypeo tantum et galea, quem seminuda foemina brachio retinere velle videtur. Epigraphe est: VENERI VICTRICI. S. C. Hoc igitur numo putant respici ad amorem Faustinae erga gladiatorem, de quo paullo post plura dicemus. Nam nunc sententias virorum doctorum memorare iuuat. Primum Patinus (*m*) numum exhibet

(k) exstat in *Museo Pembrochiano*. P. I. tab. 18.

(l) libro citat. p. 212.

(m) in *Numism. Imper. Rom.* p. 248.

hibet et interpretatur sic: „Venerem sed „minus pudicam exhibet nummus. nuda fere „nudum maritum retinere videtur ad bel„lum properantem sub Martis specie. Vi„ctrici autem aedem constructam fuisse in „theatro Pompeii constat: Pompeii, in„quit Plinius, altero consulatu dedicatio„ne templi Veneris Victricis pugnauere in „Circo viginti elephantes. Plurimae ex„stant inscriptiones VENERI VICTRICI, „quas et ad victoriam supra Iunonem et „Palladem per Paridem reportatam et ad „victoriam libidinis supra caeteras homi„nis passiones reuocare placet. Quidni „etiam Faustina victorias Aurelii effecisse „praedicetur, quae in altero numo MATER „CASTRORVM legitur?" Dat eundem Tristanus (*n*), conspicitque Faustinam retinere cupientem maritum, ne periculum vitae ineat, aut orantem, vt se simul ducat. quae saniora verioraque sunt iis, quae addit: *Apres tout celle nudité de Faustine, la plus affetée Courtisane de son temps, semble auertir facilement Marc Aurele, que s'il ne demeure, ou qu'il ne l'emmene avec lui, qu'elle lui fera bien voir sur son armet, qu'elle n'aura peu s'en passer en son absence.* qnae quomodo

(*n*) in *Comment.* T. I. p. 655.

quomodo viro docto in mentem venire potuerint, miror. nam quis credat, Faustinam se ipsam accusasse? Audiamus etiam Oiselium (*o*). "Videre est, Venerem seminudam, siue potius ipsam Faustinam, lasciviore Veneris habitu, quae maritum M. Aurelium Imp. sub Martis nudi quoque specie expressum, ad bellum cruentum properantem retinere velle, atque per illecebras et pellaciam ad blandum et dulce in suis castris bellum inuitare atque allicere videtur. Quemadmodum istud magnis Imperatoribus ac summis belli ducibus non semel contigit, vt in medio victoriarum suarum cursu per foemineas blanditias abrepti fuerint, ac, cum modo nihil praeter pugnas, obsidiones ac militares labores spirarent, mox per delinimenta muliebria seducti, gladio ipsis quasi e manibus excusso, vnguentis delibuti, rosis myrtoque coronati, in Veneris castris diu noctuque litaverint. Quod Veteres per Veneris et Martis fabulam designare voluisse notum est: siue itaque hic Venerem Marti, siue Faustinam marito suo abblandientem accipias, res eodem redit." Hauercampius denique de

nostro

(*o*) in *Thes. Numism. Select.* T. 49. 1.

nostro numo ita iudicat (*p*): "Ne soli „Graeculi sibi blanditias omnis atque adu- „landi artem vnice vendicarent: ipsi Ro- „mani satis ostenderunt, vel in huius numi „typo, quod scirent blandiri principibus. „In hoc enim Faustinae numo, ipsum M. „Aurelium Imperatorem Marti, Faustinam „Veneri compararunt, lepido sane commen- „to, quo finxerunt, armantem maritum in „bellum iturum, spondentemque de hosti- „bus victoriam. quare in margine adscribi- „tur: VENERI VICTRICI, nisi per am- „plexus Veneris Faustinae, quibus Aure- „lium, in Martis morem armatum, circum- „dat, victricem eius potentiam, deuincto sibi „blanditiis suis marito, indicare voluerint?" Videmus, eundem Hauercampium eandem de hac re sententiam alio loco (*q*) expo- nere. Taceo alios, qui hunc numum, ex aliis repetitum, exhibuerunt (*r*). Dicenda est enim nostra sententia.

Fausti-

(*p*) in *Numophylacio Reginae Christinae*, tab. LX. n. 16. in *Comment*. p. 430.

(*q*) ad *Numism. Aur. ducis Croii et Arschot.* tab. 31. n. 4.

(*r*) vt Hanthaler in *Exercitat. P. II. tab. VI.* n. 12. vid. p. 210. et Io. Iac. Gesnerus in *Numism. Antiqu. Imper.* t. 115.

Faustinam defendere nullo modo mihi propositum est. Licet enim in numis (*s*) tanquam ipsa Dea pudicitiae, adscripto titulo, PVDICITIA exhibeatur: nimis tamen eam boni mariti, prudentia dicam, an somnolentia? abusam esse, fide dignorum scriptorum monimentis proditum est. Adscribendus est locus Iulii Capitolini (*t*), quoniam ad eum respiciunt, qui hunc nummum Satyricum censent. *Aiunt quidam*, inquit, *quod verisimile videtur, Commodum Antoninum, successorem illius ac filium, non esse de eo natum, sed de adulterio, ac talem fabellam vulgari sermone contexunt. Faustinam quondam Pii filiam, Marci vxorem, quum gladiatores transire vidisset, vnius ex his amore succensam, quum longa aegritudine laboraret, viro de amore confessam. Quod cum ad Chaldaeos Marcus retulisset, illorum fuisse consilium, vt, occiso gladiatore, illius sanguine sese Faustina sublauaret, atque ita cum viro concumberet. Quod cum esset factum, solutum quidem amorem, natum vero Commodum gladiatorem esse, non principem. — Multi autem ferunt Commodum*

(*s*) in *Numophyl. Reginae Christinae t.* 60.
(*t*) in *Vita Antonini Philos.* p. 30. edit. Paris. 1620.

dum omnino ex adulterio natum: si quidem Faustinam satis constat apud Caietam conditiones sibi et nauticas et gladiatorias elegisse: de qua cum diceretur Antonio Marco, vt repudiaret, si non occideret, dixisse fertur: Si vxorem dimittimus, reddamus et dotem. De admirabili boni viri patientia loquitur idem scriptor sub finem libri (*u*,) vbi, *Crimini ei datum est*, inquit, *quod adulteros vxoris promouerit, Tertullum et Orphilum et Vtilium et Moderatum ad varios honores: quum Tertullum etiam prandentem cum vxore deprehenderit. — Et de hoc quidem multa populus, multa alii dixerunt, patientiam Antonini incusantes.* Neque haec dixisse historico satis fuit, sed iterum iterumque rem repetit. *De amatis*, inquit (*x*), *ab vxore pantomimis fuit sermo, et petiisse* narrat (*y*) a Senatu Aurelium, vt honores Faustinae aedemque decernerent, *quum tamen impudicitiae fama grauiter laborasset, quae Antoninum vel nesciuisse vel dissimulasse* addit. Quin aliorum Imperatorum mores ingeniosissime perstrinxit Iulianus, neque haec neglexit in Satyra lepidissima: vnde non opus est verba ipsa repetere: cum neminem esse credamus antiquae historiae studio-

(*u*) p. 34. (*x*) p. 32. C. (*y*) p. 33. C.

studiosum, qui illum librum non legerit. Quamuis vero haec ita sint, quamuis Aurelius valde comem se erga amatores vxoris praestiterit, quamuis, qui similem fortunam experiantur, additisque capiti cornubus Bacchi numen imitentur, iure sibi Imperatorem collegam gratulari possint: hoc tamen in numo minime amores Faustinae tangi credo.

Primum, quod ad ipsum Veneris habitum attinet, miror, quomodo ille insolitus videri viris doctis potuerit, supicionique locum dare. Qui veterum monimenta adspexit, multa liberius exhibuisse illos sciet, quam verecundiae leges permittant. Nam eos vel ipsa religionis corruptae insania haec aut facere iubebat, aut certe ab iis facta tolerabat, defendebatque. Paullo post hoc luculentius ostendemus: nunc in proposito maneamus. Veteres omnes fere Deos pingebant nudos, Deasque nudo pectore, non sine causa, quam memorat Hanthalerus (*z*), exhibebant. Nuditas vero illa Veneris quasi propria fuit. vnde Sidonius Apollinaris (*a*).

— *longo*

(z) in *Exercitat. P. II. Dial.* 3. p. 22.

(a) in carm. VII. p. 308. adde Sperlingium in *diss. ad Numum Furiae Sabiniae Tranquillinae.* p. 46.

— longo veniunt poſt ordine Diui:
Pampineus Liber, Mars trux, Tirynthius hirtus,
Nuda Venus, foecunda Ceres, pharetrata Diana,
Iuno grauis, prudens Pallas, turrita Cybele. etc.

Quibus adde epigramma Anthologiae (*b*), ex altercatione Hadriani et Epicteti repetitum:

Nuda Venus picta eſt, nudi pinguntur Amores;
Nam quos nuda capit, nudos amittat oportet.

Venerem Victricem nudam e vitro antiqui operis dat Cauſeus (*c*), et numus Titi (*d*) eandem oſtendit toto corpore nudam, dextram ori admouentem, equum ſiniſtra tenentem fraeno, ſtantemque ante Martem, pariter nudum, ſedentem, et manibus Scipioni innixum. cuius numi puto idem argumentum eſſe, quod noſtri. Sed de hac nuditate paullo poſt plura.

Veneris

(*b*) *L. I. ep.* 65. p. 40.
(*c*) in *Muſeo Romano.* T. I. S. 1. t. 42.
(*d*) ad Iuliani Caeſar. p. 70. adde tamen Triſtanum in Comment. P. I. p. 302.

Veneris quod habitu Fauſtina exhibetur, inde nemo aliquid ignominioſi eliciet, niſi qui admodum paucos veteres numos attente conſiderauerit. Quis enim neſcit, frequenter veteres Imperatores ſibi diuinum cultum arrogaſſe, Deorumque nomina ſuis appoſuiſſe? Auguſtus Apollinis, Hadrianus Iouis Olympii, Commodus Herculis habitum adſumſere (*e*). Sub Bacchi ſpecie Antonium latere (*f*), non male Gorius coniecit: atque Commodus Mercurii habitu conſpicitur (*g*), quem etiam in gemma (*h*) Antinoo tribui videmus. Quis neſcit, Diocletianum Iouii, Maximianum Herculei cognomen adſumſiſſe (*i*)? Pari modo Auguſtas quoque Dearum perſonas et nomen ſibi arrogaſſe conſtat. Appellabantur Iunones reginae, Iunones, Veſtae, Pallades, Dianae Luciferae, Cereres Auguſtae. Liuia Auguſti Iunonis ſpecie effiĉta, Meſſalina Cereris, Iulia Se-

(*e*) v. Spanhemium de *Vſ. et Pr. N. Diſſ. XII.* p. 489.

(*f*) in *Muſeo Florent.* Vol. I. t. 83. 3.

(*g*) vid. *Patini Num. Imp.* p. 266.

(*h*) Cauſei *Muſeum Roman.* T. I. t. 55. adde ſuper hoc more Paciaudium in *Monum. Peloponneſiac.* Vol. II. p. 73.

(*i*) vid. *Gruter. Inſcript.* CCLXXX. 3. adde *Reineſii Epiſt.* LXVIIII. p. 653.

veri eiusdem Deae, et Marciana, Traiani soror, Palladis honores et habitum vsurpavit (*k*). Veneris vero honores maxime iucundos iisdem fuisse, e multis numis apparet, vbi Augustae sub eius specie coluntur. In Iuliae Domnae numo (*l*) Venus tota nuda apparet, altera manu pectus, altera pudenda tegens: cuius alii numi Venerem Victricem seminudam exhibent (*m*). Illa seminuda VENVS VICTRIX est etiam in numo Crispinae, Commodi vxoris, a Patrensibus cuso (*n*): Herenniae Etruscillae (*o*): in numo Plautillae (*p*), Caracallae vxoris: quibus adde numos (*q*) Galeriae Valeriae, Diocletiani filiae, et nuptui ab eodem Galerio Maximiano traditae, et numum

(*k*) vid. Suaresii *diss. de numismat.* c. 12. p. 27. et Rudolph. Bunauium *de ornamentis et honoribus Augustarum* p. 27.

(*l*) v. Froelichii *Adpend. ad Num. Vrb. Gr. loqu.* p. 253. adde *Numophylac. Reginae Christinae.* t. 26.

(*m*) vid. Tristani *Comment.* T. II. p. 127.

(*n*) vid. Vaillantii *Num. Aer. Imper. in Col.* p. 311.

(*o*) v. Banduri *Numism. Imper.* T. I. p. 31.

(*p*) in Oiselii *Select. Num.* T. 49. n. 10. add. *Numism. Vaillantii Praestant. Imp. R.* T. I. p. 127. ed. Rom.

(*q*) vid. ibid. in *Adpendice* p. 278.

numum Magniae Vrbicae, Magnentii vxoris, quo VENEREM VICTRICEM celebrari (*r*) videmus. Quid? quod Cornelia Salonina sub Veneris habitu colitur, ad pedes stante Cupidine cum arcu (*s*). Quae cum ita sint, non mirum est, Faustinae quoque Veneris Victricis, quo Augustae ita delectatae fuisse videntur, vt nullo alio, titulum habitumque tributum fuisse. In numo Amastriensium (*t*) apparet Faustina sub Veneris habitu cum pomo: atque in alio (*u*) sinistra eadem Venus sceptrum, dextra columbam gerit. Singularis (*x*) alius numus habet eandem Victricem Deam, cum sex Amoribus, qui ludere videntur, turrimque ascendunt, deciduntque. Habent eiusmodi numi Venerem seminudam, vt noster, inscriptique sunt: VENVS VICTRIX, aut VENERI VICTRICI.

His expositis, facilius lectoribus persuadebo, exhiberi Faustinam, sub Veneris figura, Aurelio,

(*r*) in Patini *Thes. Numism. suorum.* p. 15.
(*s*) v. *Numophyl. Reg. Christin. t.* XXIX.
(*t*) v. *Thes. Palatin.* p. 312. et *Brandenb. T. II.* p. 675.
(*u*) vid. *Oiselii Thes. N. Sel.* T. 48. 7. add. T. 49. 7.
(*x*) v. Spanhem. ad *Iuliani Caesar.* p. 87.

Aurelio, cui Martis persona per adulationem tributa, blandientem, illecebrisque suis eum demulcentem: id quod non tam probabile, quam verum videbitur consideranti gemmam, simillimam numo nostro, in qua pariter Marti Venus blanditur (*y*). Illa inscriptione: VENERI VICTRICI, non puto aliud quidquam indicari, quam summam Veneris potestatem. Harduinus (z) quidem dicit, Romanos geminum, vt vincerent, numen appellasse: si armis ac vi superiores discessissent, victoriam adscripsisse MARTI VICTORI: si cum bona gratia, si pacifice et sedate rem transegissent, VENERI VICTRICI victoriam tribuisse. Quod si etiam in quibusdam Imperatorum numis verum sit, certe non potest ad Augustarum numos referri, inter quos est rarior reliquis ille Iuliae, Seueri coniugis, in quo Venus columnae adnixa et superius nuda, palmam et pomum praefert, cum epigraphe: VENERI VICTOR. (*a*) quem iam editum esse ignoravit

(*y*) in *Museo Florent. I*, 73, 8. vnde dat Spencius in opere vtilissimo t. VIII. 1.

(*z*) in *Numism. Seculi Constant*, p. 147.

(*a*) in *Thes. Brandenb.* T. III. p. 132.

vit Burmannus (*b*), qui se in numo similem inscriptionem obseruasse scribit, variaque docte disputat. Verum, vt similium locorum instituta comparatione, optime libri alicuius sensus explicatur: ita etiam numos inter se comparare est vtilissimum. Sunt vero duo in honorem Faustinae cusi numi, qui nostri interpretationem luce clarius ostendunt. Alter (*c*) a parte capitis inscribitur: ΦΑΥΣΤΕΙΝΑ CΕΒΑCΤΑ: in altera parte scriptum: ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Hercules nudus leoni gradienti incumbens, semiresupino corpore, claua sinistro brachio inserto, dextra Cupidinem apprehendit, et cum eo ludit: quem numum Hauercampius ita interpretatur (*d*), vt dicat: "Nicaeenses potentiam „ Veneream formosissimae Faustinae agno-„ scunt, quae Cupidineis blanditiis mariti „ bellatoris animum emollit. „ Simili inuentione vsi sunt gemmarum sculptores, ad vim amoris indicandam. nam et amor alatus rugienti leoni insidet, et lyram pulsat, et amor idem leonem minaci oris hiatu rugientem, apprehensis dextra iubae villis, sistit, manuque altera stragulum dorso aptat, quasi mox

 insilitu-

(*b*) ad *Quintil. Instit. Or. II.* 4. p. 143.
(*c*) in *Numophylacio Reginae Christ.* tab. 20.
(*d*) in *Commentar.* p. 113.

inſiliturus (*e*): quemadmodum idem ſpectauit alius artifex, qui Cupidinem gemmae inſculpſit, Herculis capiti imminentem, illumque tenentem capillo, abiecta claua (*f*). Alter numus inſignis moduli (*g*) memorabilior etiam eſt, pariter Fauſtinae ſacratus: cuius habet caput, cum epigraphe: FAVSTINA AVGVSTA. In altera parte Venus abblanditur Marti, galea tecto caput, et ſcuto laeuam: iuxta illam Cupido, prope hunc thorax in terra conſpicitur. Nonne vero in hoc numo eadem victrix Veneris vis indicatur, quam in noſtro celebrari dixi, quem immerito ad Satyricos referri nunc patet? Nonne omnes tres ad pulchritudinem et gratias, quibus Fauſtina ad Venerem prope accedat, declarandas ſpectant? Lubet, ne quid praeteriiſſe videar, lectores ablegare

(*e*) Piccarti venuſta manus gemmam vtramque reddit, in *Stoſchii Pierres gravées* p. 53. t. 6. t. 66.

(*f*) in *Theſ. Palat.* p. 40.

(*g*) datur numus in Vaillantii *Numiſm. Praeſt. Imp. R. T. III. p.* 142. ed. Rom. in *Muſeo Farneſiano.* P. V. t. 13. n. 1. in *Numiſmat. Cimelii Caeſar. Reg. Auſtr. Vindob.* T. II. p. 44. in Geſsneri *Numiſm. Ant. Imp. R.* tab. 114.

ablegare ad contemplationem gemmae (*h*), in qua toto pectore nuda mulier, quam togatus chlamydatusque quidam tenet. In hac etiam Begerus Faustinam et Aurelium sibi inuenisse visus est, multaque pro nuditate hac dixit, quae illi legere debent, qui lasciuiorem habitum in nostro numo agnoscunt.

Quemadmodum vero hunc numum Satyricorum numero exemi: ita parum abfuit, quin alium iisdem accenserem. Non memini, me illum alias videre, quam in Patini opere egregio (*i*), vnde Io. Iac. Gessnerus (*k*) eundem repetiit. Describitur vero ab illo sic: "Elegantissimum typum, quem „ exhibet numus, difficile est mihi explicare. „ Statua quaedam basi imposita est: coram „ sese erigit asinus, cuius dorso insidet figura „ quaedam: pauci characteres, sed detriti, in- „ scripti sunt: ex quibus nihil probabilis con- „ iecturae elicere potui: potero fortasse, si „ mihi vnquam integrior numus occurrat. „ Equidem illam statuam Priapi esse statim conieci, atque etiam, asini natura conside-

(*h*) in *Thes. Brandenb.* T. I. p. 124.
(*i*) in *Numism. Imper.* p. 252.
(*k*) in *Num. Ant. Imp. R.* t. 115.

rata, ſuſpicatus ſum, numum ad irridendas libidines Fauſtinae ſpectare. Certe, ſi quis recordetur ea, quae ſupra de moribus Fauſtinae ſcripſimus, illi non adeo ab omni veritatis ſpecie haec coniectura abhorrere videbitur. Re vero eadem etiam atque etiam mecum expenſa, meam opinionem reieci ipſe, et hoc numo populum quendam aut vrbem aliquam cultum Priapo exhibere voluiſſe, ſine Fauſtinae irriſione, exiſtimaui. Recordabar enim illum locum Lactantii, vbi aſinum *litabilem Priapo victimam* appellat (*l*), recordabarque, obſeruatam fuiſſe Romae hominis mentulati ſtatuam, ſiue Priapi effigiem, infra ad dextram cum aſini capite, cui ſacrificialis dolabra imminet, ad ſiniſtram cum eodem capite, cum oblongiore cultro (*m*). Cauſam vero, cur aſinus Priapo ſacrificetur, iucunde narrat Ouidius (*n*), nempe Priapum Veſtae dormienti vim afferre voluiſſe, eam vero ruditu aſini Sileni excitatam de ſomno effugiſſe: inde incipit:

Caedi-

(*l*) *Inſtit. diu.* L. I. c. 21.

(*m*) vide Ferretii *Muſas Lapidares* I. Mem. 12. Saubertum *de Sacrificiis* c. 23. Haſaeumque *de* ὀνολολατρεία.

(*n*) *Faſt. I*, 391. 439.

Caeditur et rigido custodi ruris asellus;
Caussa pudenda quidem est, sed tamen apta Deo. —

et addit:

Morte dedit poenas auctor clamoris, et hinc est
Hellespontiaco victima grata Deo. —

et alio loco:

Lampsacos hoc animal solita est mactare Priapo,
Apta asini flammis indicis exta damus (o).

quemadmodum contra sacris Vestalibus asini coronis et sertis coronari solebant (*p*): id quod iis et Consualibus feriis contingebat, teste Plutarcho (*q*). Asinum etiam putat Cuperus (*r*) promitti Priapo in marmore (*s*):

HORTORVM. CVSTODI. VIGILI
CONSERVATORI. PROPAGINIS
VILLICORVM

DVM.

(*o*) *Ibid. VI.* 345. sed, de hoc versu alio loco.
(*p*) v. Alex. ab Alexandro *Genial. dier.* L. III c. 12.
(*q*) *Rom. Quaestion.* XLVII.
(*r*) ad *Inscript. et Marmor. antiqu. addit. Apotheos. Homeri* p. 299.
(*s*) in *Gruteri Inscr.* p. XCV. 4.

DVM. TVA. POMIFERVM. CVSTODIA. PROTE
GIT. HORTVM
TERROR. ET. INFESTIS. FVRIBVS. INGVEN.
ERIT
LAMPSACIOS. MELIOR. NON. IMBVET. HO
STIA. CVLTROS
QVAM. VENIET. NOSTRA. VICTIMA. CAE
SA. MANV

Neque vero credere quispiam debet, indecorum esse hunc typum, et liberius additum nummo Augustae Faustinae. Nam quod supra attigimus, paullo pluribus hic ostendendum est, obscoeniora suis in monimentis saepe veteres proposuisse. Nescio an verum sit, licet omnes verum putent, quod Tertullianus (*t*) dicit, in mysteriis Eleusinis arcanum fuisse illud summum, membri virilis simulacrum. nam paullo melius vt de sacris illis sentiam, inclinat animus, neque fidem omnino habeo iis, quos Patres dicimus, quique, quod obscurum erat et ignotum, malum censebant, neque etiam falsa profanis obiicere verebantur, modo ad vtilitatem rei Christianae haec mendacia spectare putarent. Interim tamen hoc verum esse, phallorum obscoenas imagines ad superstitionem illorum

(*t*) *aduersus Valentinian.* init.

-rum pertinuiffe (*u*), clare apparet ex iis monimentis, quae Cauſeus (*x*), Io. Macarius et Io. Chiffletius (*y*) exhibuerunt, atque ex iis, quae viri docti de hac re ex fide dignis teſtimoniis collecta dederunt (*z*). Priapeia vero haec ſacra nullo modo occultare, ſed, vt partem religionis, monimentis in publicis quoque proponere voluerunt. Dat Baudelotius (*a*) duos numos, alterum Seueri, alterum a Lampſacenis Maximinis dicatum, qui illud membrum, quod natura tegi voluit, exhibent. Atque hoc memorabilior eſt ille argenteus rariſſimus (*b*) cum capite

(*u*) vide *Diodor. Sic.* L. I. c. 2.

(*x*) diſſert. *de Mutini ſimulacris*, in *Theſ. Graeuian.* T. XII. p. 974.

(*y*) Io. Macarii *Abraxas ſeu Apiſtopiſtus, quae eſt antiquaria de gemmis Baſilidianis diſquiſitio. Acced. Abraxas Proteus, ſeu multiformis gemmae Baſilidianae portentoſa varietas, Commentario illuſtrata* a Io. Chiffletio. Antverp. 1657.

(*z*) vide Kircherum in *Oed. Aegypt.* T. I. *Synt.* III. c. 4. Io. Bapt. Caſalium *de veter. Aegypti ritib.* c. 25. et in libro *de profanis Rom. ritibus.* c. 12. ſequ. Seldenum in Syntagm. *de diis ſyriis.* II. c. 1. p. 227. Cuperum in *Harpocr.* p. 89.

(*a*) *dans l'Utilité des Voyag.* p. 344.

(*b*) in Haymii *Theſ. Britannico.* T. I. p. 70.

capite Demetrii II. diademate reuincti, prope quod littera M. (quia Marathus, antiqua Phoenicum vrbs, procul dubio numum cudit): in postica parte stat foemina, dextra thyrsum Bacchi tenens, sinistra pomum, coronam gestans radiatam in capite, vnde ab vtraque parte dependent duo poma pinea: infra duae stellae et tota vestis ad latus vtrumque emittit mentulas. epigraphe est: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. quo numo probabile est Venerem Pantheam indicari, vndique collectam, compositamque ex iis, quae Syri colebant, numinibus. Videmus enim monimenta quaedam, quae quasi omnium Deorum Dearumque specula sunt, et vbi, quae singulis Diis propria data, vni tributa esse conspicimus. Eorum exempla ab iis, quae talia explicanda sumserunt, petenda sunt (*c*). Omnium vero, si Spintrias exceperim, obscoenissimi numi facile illi sunt, quos Lesbos signauit, quorum vnum dat Patinus:

(*c*) vide Causei *Museum Romanum* T. I. S. 2. t. 31. 32. Baudelotium l. c. p. 201. 219. 240. Nicasium *de numo pantheo Hadriani Augusti*. Lugd. 1694. Iac. Sponium *de ignotorum Deor. aris* in T. VII. *Gronou. Thes.* p. 245: Cuperum ad *Apotheos. Homeri* p. 176. Phil. Bonanni *Museum Kircher.* Cl. IV. p. 39.

nus (*d*): in quo vir mulierem liberius amans conspicitur. qui quidem numus, aut ego valde erro, aut idem est, cuius fit mentio in libro male inscripto: *Meursii elegantiae Latini sermonis.* (Viris scribo, non pueris, ideoque nec pessimum librum ad testimonium vocare pudet.) Ibi igitur dicitur (*e*): "Vidi ego Romae in domo Vrsini „ numos duos, alterum ex aere, alterum ex „ argento, in insula Lesbos, vt dicebat, cu- „ sos. in altero Sappho nuda cum nuda puel- „ la tribadico confligebat duello. Vir nudus „ in altero, dextero nixus genu, puellam su- „ stentauit nudam, et pilo figebat diuaricatis „ femoribus fauentem. „ Neque me falso opinari credo, Fr. Wisium (*f*) errare, dum eundem numum dat, et in eo misericordiae symbolum, et virum forte Sapphum a rupe deiectam tollentem conspicere se credit. Nam aut ipse numum non recte inspexit, aut, qui eius typum laminis aereis inscripsit, lapsus ignorantia est, numo forte nimis detrito. Puto enim, eum numum non diuersum

(*d*) in *Thes. Numism. suorum* p. 20. vide etiam *Museum Pembroch.* P. II. t. 19.

(*e*) p. 312.

(*f*) in *Numism. Bodleianis.* T. V. p. 259. in comment. p. 6.

ſum a reliquis eſſe. Sed nimis longe me a propoſita re digredi video. Erat vero illud nobis propoſitum, vt oſtenderemus, numum noſtrum ad Priapi ſacra pertinere, atque moneremus lectores, ne ſe turbari paterentur typi ſiue obſcoenitate, ſiue inſolentia. Quare nunc pergamus.

Reſtat ille Gallieni numus, ob multas virorum doctorum de eo diſputationes notiſſimus, quem regis Galliae Cimeliarchium ſervat: quanquam eundem etiam in Wurtenbergico theſauro (*g*) fuiſſe video. Deſcribitur ille, explicaturque a Bandurio ſic (*h*):

GALLIENAE AVGVSTAE. *caput Gallieni corona ex ſpicis concinnata ornatum, ad humeros dextrorſum.*

VBIQVE PAX. *Victoria in bigis a dextris ſiniſtrorſum, dextra baculum tenet.*

„Noua et inſolita epigraphe, nouus ac „ inſolitus typus huius numi, quem in ludibrium atque ad aeternum Gallieni dedecus cuſum ab aliquo, qui Imperatoris titulum „

(*g*) vid. *Cimeliarchum Friderici Auguſti, ducis Wurtenb. Stuttg.* 1709. p. 55.

(*h*) in *Numiſmat. Imper. Roman.* T. I. p. 151. 154.

tulum contra eum arripuerat, putant viri „ eruditi. *Gallienae Augustae*, inscribitur, vt „ omnibus notum fieret, pro foemina eum „ haberi debere, qui res tam segniter in bel- „ lis vndique Romanum imperium premen- „ tibus ageret, de quo agit Pollio, vt eius „ nec mentio quidem apud exercitum fie- „ ret, vel quod Zenobia in eum arma sum- „ sisset, eiusque ducem Heraclianum vicisset. „ Caput Gallieni pro laurea spicis ornatur, tan- „ quam abdomini potius, quam bello vaca- „ ret. Ex altera parte *Vbique Pax*, cum „ nulla imperii Romani prouincia esset, quae „ bello seu barbarico seu ciuili, non impete- „ retur. Victoria bigas agit, quod Gallie- „ nus victoriam in circo potius, quam de „ hostibus quaereret. Numus hic inter ra- „ rissimos censendus. „ Haec ille. Nos vero primum recenseamus aliorum sententias, adspersis subinde nostris opinionibus, deinde nostrum dicamus iudicium.

Primus, ni valde erro, hunc numum describit, cui res numismatica plurimum debet, Ezech. Spanhemius (*i*). Verba viri summi sunt: — *une Medaille d'Or assez extraordinaire*

(*i*) in *Commentar. ad Iulia. Caesares* p. 103.

dinaire de cet Empereur, laquelle se trouve dans le Cabinet d'un Prince illustre de l'Empire, au raport des Sçavans Antiquaires, qui l'ont veûe, qui m'assurent, qu'elle est antique, & de qui j'en ay eu le dessein, ou il se trouvoit l'inscription suivante de Gallienae Augustae *avec le visage de Gallienus:* et alio loco (*k*) idem pergit: *J'ay remarqué depuis, que M. Patin allèque aussi en passant cette Medaille, dans une Lettre addressée a l'Abbé Bracése, & de laquelle il dit:* similis prorsus fortuna *Gallienae Augustae* numum aureum obtulit, cui *Ubique Pax* erat inscripta. *Je suis bien aise, qu'une Medaille aussi singuliére, & que je n'ay point veûe jusques icy, mais que nous allons voir, suivant le dessein, que j'en dois à M. Morell, se trouve apuiée par le temoignage d'un homme aussi celebre, & aussi versé dans la connoissance des Medailles, que mon bon & ancien ami, M. Patin.* Haec Spanhemius.

Non poterat tam bellam occasionem, acumen ingenii ostendendi, Harduinus, qui

Quod mecum ignorat, solus vult scire videri,

omittere.

(*k*) in *Addend.* p. 489.

omittere. Nam, quasi alter Hercules, ille manu fortissima a nemine alio superanda monstra domuit, totumque hominum genus, immo, quicquid est vbique doctorum hominum, desipere, pro sua humanitate docuit. Duplicem vero, vt foecundissimum erat viri ingenium, opinionem exposuit, quarum quam veriorem putauerit, ego nescio, cum ipsi hoc indicare non lubuerit. Primam his verbis explicuit (*l*): „Ac primo GALLIENAE AVGVSTAE scriptum est pro „GALLIENE AVGVSTE: in vocandi casu: pro vsu scilicet temporum illorum, quibus litterae AE et E subinde permutabantur „in scribendo, ob soni similitudinem. Sic in „nummo Probi ex aere minimo: PIAETAS „AVG. in nummo Carausii: FORT. RAE „DVX: in Maximiani Herculii nummo: „BAEATISSIMO SEN. AVG. in nummo „Helenae: AELENA: in nummo Fl. Victoris: BONO REIPVBLICE, et alibi, vti „iam diximus. In vocandi autem casu positos interdum titulos videmus in nummis. „Sic in argenteo Commodi nummo, in quo „Iupiter stat, dextra fulmen tenens, su- „perscriptio est: OPTIME MAXIME. In „[illegible] G 2 [illegible] nummo „

(*l*) in *Chronol. Specim. I. Numism. Seculi Constantin.* p. . . .

„nummo Carausii plumbeo, quem laudat
„Seguinus p. 199. EXPECTATE VENI.
„In nummo Theophili *βασιλέως*. ΘΕΟ
„ΦΙΛΕ ΑΥΓΟΥΣΤΕ ΣΥ ΝΙΚΑΣ: eadem
„plane ſententia, atque in nummo Gallieni,
„vt apparet. Quid enim intereſt, an dicas:
„*Theophile Auguſte tu vincis:* an *Galliene*
„*Auguſte, Vbique Pax?* — Iam corona
„graminea, qua caput Gallieni cingitur,
„magnarum victoriarum index fuit, et inter
„genera coronarum bellicarum principem
„locum tenuit. Plinius lib. XXII. ſect. IV.
„*Corona quidem nulla fuit graminea nobi-*
„*lior, in maieſtate populi terrarum princi-*
„*pis, praemiisque gloriae.... Graminea nun-*
„*quam, niſi in deſperatione ſuprema conti-*
„*git, nulli, niſi ab vniuerſo exercitu decreta.*
„*Ceteras Imperatores dedere: hanc ſolam*
„*miles Imperatori. Eadem vocatur obſidio-*
„*nalis, liberatis obſidione abominandoque*
„*exitio totis caſtris.* Quae denique Pax
„Gallieno adſcribitur, eadem conſignatur in
„nummis argenteis Saloninae, quae Gallieni
„coniux: SALONINA AVG. •ϽC• AVG.
„IN PACE. Sedens, dextra ramum oleae,
„laeua haſtam tenet. Sed haec obiter de Gal-
„lieni nummo, qui viſus eſt hactenus perdiffi-
„cilis explicatu: nonnullis arbitrantibus, fal-

„ſum

fum ac mordax eo lemmate dictum contine-„ ri: falso: cum in nummis antiquis, saltem „ Latinis, nihil plane sit ludicrum, aut scur-„ rile, nihil Romana grauitate ac maiestate „ indignum: nec, si nummos quidem testes „ audimus, quisquam fere ex Augustis aut „ magis in bello strenuus, aut magis acce-„ ptus populo Romano Gallisque fuit, quam „ Gallienus.„ Hactenus Harduinus eo loco. Sapientiora profecto haec sunt et veriora iis, quae alio loco (*m*) disputauit. "Est num-„ mus, inquit, prae caeteris celebratissi-„ mus, haud felicius a nobis hactenus, quam „ ab aliis, expositus, quod nemini tunc ve-„ niebat in mentem, primas tantum ibi ex-„ primi totidem fere vocum litteras. Aureus „ est in thesauro regio. *Gallienae Augustae*: „ Caput est Gallieni, herba cinctum, quam „ gramen vocant: vultus virilis et grauis: „ cur corona detur graminea, Plinius docebit, „ Libro XXII. Sect. IV: •ϽC• *Vbique Pax*: „ Victoria in bigis. Prioris tituli sententia „ haec est: GALLIENo *Augusto* E*dua* AV-„ *Gusta* V*rbis* S*eruatori* T*riumphalem* A*r*-„ *cum* E*rexit*. Posterioris hic sensus est: „ *Victoria* BI*suntina* QV*ietem* E*duae* P*epe*-„ *rit* „

(*m*) ad Plinii *Histor. Natur.* T. I. p. 570. vid. tab. VIII.

„*rit*, *Augusti* X. *decennalibus.*" Bisuntini „sunt, quos hodie vocamus: les Besançon-„nois dans la Franche Comté. quorum num-„mus argenteus etiam seculo XIII. inscribi-„tur: BISVNTIVM. Primus ille annus „Gallieni fuit, vt Decennalia significant, et „prima ea, simplexque victoria, cum bigae „pictae sint, non quadrigae". Quid vero est illudere lectoribus, si hoc non est? quid est aliud magno conatu maximas nugas agere et in re seria pueriliter ineptire? Cum ille Harduinus in numorum interpretatione non historicorum testimonia adhibuerit, cum non alia antiquorum temporum monimenta consuluerit, eaque tantummodo, quae ab ingenio, acuto profecto et perspicaci, sed audaci simul, nec procul dubio interdum satis vigente recta valetudine, sibi dictarentur, secutus sit: quis non miretur, eundem tamen dicere audere (*n*): *nummorum testimonio adferri humanum certius nullum posse?* Quare etiam bene reiecit hanc interpretationem Harduini Froelichius, qui rectius castiusque antiquitatis monimenta tractare didicerat. „Haec, inquit (*o*), etsi ingenii „felici-

(*n*) in *Chronol. Veter. Testam.*
(*o*) *de numis Monetar. Veter. culpa vitios.* c. 2. p. 372.

felicitate et antiqui sermonis suauia, atque „ eiusmodi sint, quae ita concepta fuisse me- „ reantur, quis tamen credat (si longior etiam „ hisce sub litteris lateret oratio,) eam integre „ riteque post tot secula ingenii viribus quem- „ piam assecutum esse, aut etiam potuisse? „ Quis vero non hic potius, etsi ne id qui- „ dem omnino certum sit, lapsum sculptoris „ arguat, qui orthographiae fortasse non sa- „ tis gnarus et soni similitudine deceptus: „ GALLIENAE AVGVSTAE loco GAE- „ LIENE AVGVSTE formauerit etc. „ vbi dat simul plura exempla numorum, in qui- bus littera AE pro E ab errante monetario scripta est. Sed audiamus aliorum senten- tias.

Edidit Vallemontius duas epistolas (*p*), in quibus lectoribus persuadere laborat, hunc numum cusum esse in honorem mulieris hu-

G 4 ius

(*p*) *Nouvelle explication d'une medaille d'or du Cabinet du Roy, sur laquelle on voit la Tete de l'Empereur Gallien & cette legende: Gallienae Augustae: avec l'idée d'une nouvelle Histoire d'Empereur Gallien par les Medailles.* a Paris. 1698. 12. prima epistola Latine versa in Woltereckii *Electis rei numariae* p. 168. sequ. et Italice *nella Galleria di Minerva*. T. IV. P. II. p. 17. sequ.

ius nominis, consobrinae Gallieni, quam Tillemontius putat neptem fuisse Gallieni cuiusdam, qui pater fuerit matris Gallieni Imp. Hanc enim, dicit, Corn. Celsum, tyrannum ab exercitu in Africa Imperatorem electum, occidisse. Praeterea arbitratur, non tam stultum aut imbecillem fuisse Gallienum, vt vulgo homines credant: Trebellium Pollionem in illius vita describenda magis satyricum agere, quam historicum, adeoque illi non omnino fidem habendam esse. Hanc sententiam Vallemontii refutaverunt Baudelotius (q) et Gallandus (r), quorum ille numum satyricum censet, aliumque etiam numum e medio aere, caput altera parte cum verbis GENIVS POPVLI R. habentem, in altera inscriptionem, INTRA VRBEM S. C. (s) ad irrisionem Gallieni percussum fuisse, sed sine omni veritatis

(q) Charl. Ces. Baudelot *lettre a Mr. de Vallemont, sur la nouvelle explication, qu'il a donnée à une medaille d'or de Gallien.* Paris. 1698.

(r) *Lettre touchant la nouvelle explication d'une medaille d'or du Cabinet du Roi.* Caen. 1698. exstat Latine in Woltereckii *Elect. Rei numariae* p. 189. et *dans le Journal. des Scavans a.* 1701. *Août.* p. 616.

(s) v. Tristani *Commentar.* T. III. p. 65. 66.

ritatis specie putat; hic iam alio loco osten-dere conatus erat, errore monetarii ita legi pro *Galliene Auguste.* His in altera Vallemontius respondet, et inprimis mulie-ris Gallienae causam agit, ipsiusque Gallie-ni, quem quidem non omnibus dicit vitiis immunem fuisse, sed tamen nimis omnia a Pollione aucta esse, eoque modo illum Constantii gratiam voluisse captare, qui a Claudio Gothico ortus esset, successore Gal-lieni et fortasse etiam interfectore. Parum certe abest, quin, Gallieni tempore abundan-tiam et tranquillitatem summam fuisse, no-bis persuadere velit, Gallienum autem ad Principes praeclaros referat. In commen-tariis meis notatum inuenio, defendisse Bau-delotium suam opinionem alio libello (*t*); verum nondum illum vidi. Sed Grainvillii disputatiunculam (*u*) legi, in qua, eum nu-mum ad irrisionem Gallieni spectare, ita probare laborat, vt quam plurimos satyricos

 numos

(*t*) *Reponse a Mr. G** où l'on examine plu-sieurs questions de l'antiquité, & entre au-tres la Dissertation publiée sur le Gallien d'or du Cabinet du Roy.* Paris, chez Pierre Au-boin. 1698. 12.

(*u*) *Dissertation sur quelques medailles satyri-ques de Gallien.* dans les Memoir. de Tre-voux. 1712. Juin. p. 1092. sequ.

numos exſtare nobis perſuadere conetur. Eſſe enim dicit ſummas, quas Imperatoribus tribui legamus, laudes, irriſionis tantum cauſa adhibitas. Non ſerio dici Commodum, imbecillem et voluptuoſum hominem, *Germanicum:* non ſerio praedicari in Balbini et Puppieni numis *Amorem Mutuum: Caritatem: Concordiam: Fidem Mutuam;* cum nunquam amici fuerint; non ſerio in numis Claudii ſcriptum eſſe: CONSTANTIAE AVGVSTAE: et, vt alios taceam, ſatyricos eſſe eos numos Gallieni, in quibus IVNO REGINA, Dea ſuperba, ferox et vana, in quibus PVDICITIA, in quibus VIRTVS AVGG. celebretur.

Porro Vaillantius (*x*), in ludibrium Gallieni hunc numum percuſſum putat, ab vno ex illis, qui Imperatoris titulum contra eum arripuerint, qua in ſententia video etiam eſſe Iobertum (*y*), Euelynum (*z*), Fr. Wiſium (*a*), et Gorium (*b*), qui omnes hunc numum

(*x*) in *Numiſm. Praeſtant. Imp. Rom.* T. II. p. 369.
(*y*) *dans la ſcience des Medaill. T. II.* p. 116.
(*z*) *Diſcourſe of Medals antient & modern.* p. 78.
(*a*) ad *numiſm. Bodleiana.* p. 183.
(*b*) ad *numiſm. Florentina.* P. III. p. 175.

nummum Satyricum censent. In Museo vero Pembrochiano (*c*) datur hic vna cum duobus aliis: altero Gallieni, cum epigraphe: PAX FVNDATA, altero Saloninae, de quo infra agemus, sub titulo: *Nummi Satyrici falso crediti.*

Priusquam accuratius omnia examinemus, nostram sententiam de Vallemontii et Grainvilii opinione dicamus, necesse est. Contra illum vero permulta dici possunt, et dicta iam sunt, quae non omnino nullius sunt momenti. Tot enim in vno numo difficilia et insolita occurrunt, vt, licet singula defendi possint, tamen in vno coniuncta vim aliquam habere debeant. Primum ipsa verba Trebellii Pollionis de Celso: *Quare creatus per quamdam mulierem Gallienam nomine consobrinam Gallieni septimo die interemtus est* (*d*), duplicem videntur interpretationem admittere. Nam vt distinctionis signum ponimus, et Celsus Gallienae auctoritate et arte electus, et ab eadem interemtus videbitur. Mirari etiam aliquis potest, illam de Gallieno bene meritam, eiusque ideo amantissimam consobrinam in Africa fuisse, atque ideo suspicari, illam forte ob

(*c*) P. III. t. 89. (*d*) p. 198.

ob dissidium et inimicitiam absentem tali modo puniuisse Gallienum. Non magis etiam ab assensu retinet illud, quod nomen *Augustae* a Gallieno consobrinae tributum esse videmus, quam quod inscriptio numi capiti non conueniat virili: quanquam noui, quae pro hoc dici possint. Grainuillii opinio nullo modo probanda est. Videtur ille non cogitasse, quam multa in numis debeantur adulationi, debeantur ipsorum principum cum stupori, tum honorum cupiditati. Verum est, si legamus historicorum de quorundam Imperatorum vitiis narrationes, et egregia in numis illis tributa elogia consideremus, summum esse dissidium. Sed originem rei indagare non est difficile. Quoties ipse senatus, immo totus populus Romanus a pristina nobilitate discessit, humillimisque adulationis generibus principum gratiam captauit, qui omnium contemtu dignissimi essent! Porro qua de causa numi cusi sunt? an, vt vitia et scelera principum narrarent, non credo. tantummodo ad honores illorum pertinebant. quare si verae laudes deessent, falsae addebantur. Comparemus recentiora tempora: intueamur nostra: et laudum falsarum rationem non difficulter intelligemus. Maneamus in patria. quae

quoties

quoties *Ampliatores Imperii Germanici* (*e*) eos appellauit Imperatores, qui non solum nihil adiicerent imperio, verum neque accepta tueri possent! Litterarum amantissimos principes eos celebrari audiuit, et risit prudentiorum numerus, qui histrionum iocos et venatorum clamores quotidie, suaues Musarum concentus nunquam acceperant; quique, diuitiarum copia in sinum leuis saltatricis effusa, viros doctos esurire passi erant. Quare assentior lubenter quidem Grainuillio, laudes plurimos Imperatores non promeritos fuisse. Sed sub iisdem Satyras latere, nemo credet, qui aliquo rerum vsu praeditus sit; qui, quid postulet ambitio, quid praestet adulatio, sciat; qui, quid omni tempore factum fuerit, consideret.

Hos scopulos quasi praeternecti omnia, quae in hoc nummo occurrunt, examinemus, quaeque in vtramque partem nobis in mentem veniant, explicemus. Ipsa inscriptio: GALLIENAE AVGVSTAE, addita capiti virili, ignominiosa esse videri alicui possit. Notum enim est, appellari imbecilles et timidos mulieres per contemtum. Ita Homerus (*f*):

Ω

(*e*) *Mehrer des Reichs.* (*f*) Il. B. 235.

Ὦ πέπονες, κακ' ἐλέγχε', Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί

et alio loco (*g*):

ὤ μοι ἀπειλητῆρες, Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί.

Virgilius etiam (*h*):

O vere Phrygiae, nec enim Phryges.

Non exiguum huic rei pondus addit, quod Trebellius Pollio ait (*i*), *Gallienum tam ineptum fuisse imperio, vt etiam mulieres eo melius imperarent*: quodque idem memoriae prodidit: *crinibus suis eum auri scobem adspersisse, radiatum saepe processisse, cum chlamyde purpurea gemmatisque fibulis et aureis Romae visum esse, vbi semper togati principes visi, eundemque manicatam purpureamque tunicam habuisse.* Vnde etiam Iulianus fingit (*k*), Gallienum stola, mollique mulierum incessu incedentem a Sileno

(*g*) Il. H. 96.

(*h*) *Aen. IX*, 617. (*i*) l. c. p. 182.

(*k*) Γαλλιηνὸς — στολῇ τε καὶ κινήσει χρώμενος μαλακωτέρᾳ, ὥσπερ αἱ γυναῖκες. καὶ ὁ Σιληνὸς — πρὸς — τὸν Γαλλιηνόν,

Ὃς καὶ χρυσὸν ἔχων πάντη τρυφᾷ, ἠΰτε κούρη.

v. *Caesar.* p. 6. (ed. Paris. 1577.)

Sileno irrideri. Qui locus eiusmodi eſt, vt illum numi noſtri auctor ante oculos habuiſſe videatur. Quae quidem omnia etſi probabiliter dicantur, alius tamen ſententiae defenſor dicet, monetarii errore hanc inſcriptionem pro GALLIENE AVGVSTE apparere. Primum docebit habere alios numos huius aeui accuſatiuum quoque, vt GALLIENVM AVG. P. R. (*l*) et alium, GALLIENVM AVG. SENATVS (*m*); vbi colit, aut veneratur, ſubintelligitur. In alio Saloninae aduerſa pars CORN. SALONINA AVG. auerſa VENEREM GENITRICEM praefert (*n*). Quidni igitur, quaeret, etiam vocatiuus locum habere poteſt, praeſertim cum ſupra Harduinus ſimilia exempla dederit? Tum laudabit alios numos, in quibus *AE* pro *E* comparet, dicetque, Gallieni aeuo in tantis turbis facilius eiusmodi errores committi potuiſſe. Tuebitur ſe forte auctoritate viri docti, Eduardi Corſini,

(*l*) v. Patini *Numiſm. Imp. Rom.* p. 411. adde Triſtani *Comment.* T. III. p. 69.

(*m*) v. Banduri *Numiſm. Imp.* T. I. p. 181. 171. 154.

(*n*) v. *Numiſm. Cimel. Caeſ. Reg. Vindobon.* T. I. p. 21.

Corsini, qui de hoc tempore scribit (o): „ mirari plane non possumus, in tanta temporum iniquitate, principum aut tyrannorum numero, imperii vastitate, rerumque omnium perturbatione, in ipsis etiam historiis ac nummis si mira perplexitas et obscuritas obseruetur, quum praesertim Gallieni temporibus in Historicos ipsos et numorum artifices irrepsisset, vt proinde plurimi nummorum interpretes ab ipso Gallieni imperio noui deteriorisque aeui initium in Caesarum et Augustorum nummis ducendum esse putauerint".

Corona spicea an in hoc numo sit, an eadem ignominiosa antiquis temporibus fuerit, nescio. certe me nihil inuenisse legere! Est numus Κατανειῶν (p), in quo caput imberbe spicis ornatum, imposito petaso, ad formam pilei Romani accedente, quod quidam putant Cereris caput esse. Et apud Oiselium (q) est in numo Memmiae gentis caput cum corona e spicis et vario frugum genere

(o) in *Epistol. tribus, quibus Sulpiciae Dryantillae, Aureliani et Vaballathi numi explicantur* (Liburni 1761.) p. 68.

(p) in Doruilli *Siculis* T. II. c. 4. n. 6.

(q) in *Thes. Select. Numism.* T. 51. n. 1.

genere compoſita. Hoc ſcio, non ſolum poetas dare Cereri coronam ſpiceam, vt ſuauiter Tibullus (*r*) canit:

Bacche veni, dulcisque tuis e cornibus vua
Pendeat; et ſpicis tempora cinge Ceres.

ſed ſpicas etiam eſſe ſymbolum annonae abundantiae, fertilitatisque regionis, vt apparet, ne plures adferam, e numo M. Antonini (*s*); modium cum quatuor ſpicis et papauere, verbisque, SPES PVBLICA, habente. Denique recordor Gellium ſcribere: *Ex eo tempore collegium manſit fratrum arualium, numero duodecim; cuius ſacerdotii inſigne eſt ſpicea corona et albae infulae.* ex quo loco vix videtur ſpicea corona vnquam contemtus cauſa vſurpata fuiſſe (*t*). Hoc etiam memini, eſſe in numo Liciniae gentis

(*r*) in El. II, 1. 3. adde Iac. Wilde in *Numiſm. Select.* p. 131. et 207.

(*s*) v. Spanhemium *de Vſ. et Pr. Num. Diſſ.* III. p. 154. et *Diſſ.* VIII. p. 532. adde *Muſeum Farneſian.* T. VI. t. 12. n. 6.

(*t*) *Noct. Att. L. VI.* c. 7. eadem habet Plinius in *Hiſt. Nat. L. XVIII.* c. 2. adde Paſchalium *de coronis.* L. VI. c. 15.

tis (*u*) imaginem Romae galeatae et duabus spicis erectis in galea ornatae. Neque ego facile dixerim, an recte viri docti coronam gramineam, in numo contemplentur, cum nunquam aliis in numis eam viderim. Memini etiam virum doctum negare, eam in numis conspici (*x*).

Haec de aduersa parte. Bigae in auersa Bandurio quomodo suspectae videri potuerint, miror. Victoria in bigis non raro occurrit. In numo Seueri (*y*) cum epigraphe: VICTORIAE AVGG. est Victoria in curru triumphali, vt auriga, dextra scuticam tenens, et sinistra habenas. Comparari potest numus Probi cum inscriptione: VOT PAX (*z*); possunt consuli numi Valeriani (*a*) et Getae (*b*). Quare haec figura neque insolita est, neque suspecta esse debet. Verum multo magis nos exercet epigraphe: VBIQVE PAX. Quam dum considero, video, in illo certamine de hoc numo, non recte rem, de

(*u*) in *Gorlaei Thes. Num. Rom.* T. XXI. 2.
(*x*) in notis ad *Ioberti Scient. Monet.* T. I. p. 417.
(*y*) in Oiselii *Thes. Sel. Num.* T. 69. 8.
(*z*) v. *Numismata Pisana* t. 74.
(*a*) in Banduri *Numism. Imp.* T. I. p. 103.
(*b*) in *Numophyl. Reg. Christinae*, t. XXIX.

de qua disputaretur, definitam fuisse. Lubenter largior, quod nemo historiarum studiosus negabit, summum esse dissidium inter numos Gallieni et historicos. Illi fortem, strenuum, fortunatum, pium, castum, prudentem principem celebrant: hi hominem omnibus vitiis contaminatum, omnibusque sceleribus deditum, imbecillem et infelicem pingunt. Immo inter historicos ipsos est dissensio. Nam Eusebius (*c*), Gallienum omnium consensu probatum esse, ex Dionysii Alexandrini testimonio dicit, atque ipsum principatum, veluti senectute exuta, pristinisque sordibus repurgatum, eo tempore laetius effloruisse. Quo credo testimonio adductum Christ. Gottl. Schwartzium, qui de Gallieno satis accurate agit (*d*), scripsisse: "Tantos tamque eximios Theologos mendacii aut assentationis arguere quis velit?" Sed parum abest, quin ego arguere velim viros summe reuerendos, cum quod recordor, quales se boni viri erga Iulianum, sub Apostatae nomine notum, praestiterint; tum quia fere probabile est, eos in describendis moribus Gallieni, qui benignum se erga Christianos praebuerat, non parum gra-

(*c*) in *Histor. Eccles.* L. VII. c. 23.

(*d*) in *Miscellan. Polit. Humanit.* p. 17.

tiae et partium ſtudio dediſſe. Verum de his non agitur hoc loco: neque agere viri docti debebant. Quaeſtio eſt, vtrum Gallieni imperium quietum, an turbulentum fuerit. Atque hic quidem neminem cenſeo negaturum eſſe rem, plurium ſcriptorum teſtimonio firmatam: ſummam fuiſſe rerum perturbationem, ſiue triginta tyranni, vt Pollio ſcribit, ſiue viginti ſeptem, vt Voſſius, pater, rationes ſubduxit, ſiue ſeptemdecim tantum fuerint, vt Tillemontius arbitratur. nam vel tres ſufficere arbitror ad imperium vehementiſſime turbandum. Noluimus hac in re ea curare, quae non propius ad numum noſtrum pertinent. Satis ſit nobis: totum fere Imperium Gallieni fuiſſe turbulentum et inquietum. Quae enim quies eſſe poterat eo tempore, quo, vt Oroſius dicit (*e*), *vndique permiſſu Dei repente populi ſoluti, laxatisque habenis, in omnes Romanorum fines inuecti*, vt Germani, Parthi, Quadi, Sarmatae, Gothi, quaeque potuit tranquillitas eſſe, cum ciuili diſcordia, et tyrannorum factionibus omnia plena eſſent, *quaſi coniuratione totius mundi concuſſis orbis partibus*, vt Pollio ait (*f*)? Illi igitur, qui in contumeliam Gallieni hunc numum

(*e*) L. VII. c. 22. (*f*) p. 177. C.

numum cuſum eſſe exiſtimant, iure quaerunt, quae *pax vbique* tum eſſe potuerit, et quomodo haec epigraphe illius temporis calamitati conueniat? Verum non deſunt, quae diſſentientes reſpondeant, qui hac parte fere ſuperiores videntur. Primum dicent, non perpetuum fuiſſe bellum, ſed interdum etiam laetam pacis lucem affulſiſſe. Gothos fuiſſe a Macriano victos: Celſum tyrannum occiſum: Scythas repulſos fuiſſe: atque haec omnia eiusmodi numi cudendi occaſionem praebere potuiſſe. Immo Chamillardus, in diſputatione doctiſſime elaborata (*g*), cuique ſi plures exſtarent ſimiles, hiſtoriam profecto haberemus certiorem multo, illos numos cum verbis: *Vbique Pax*, et ſimilibus, quos ſtatim memorabimus, iis temporibus adſignat, quibus, vt Zoſimus ait, *caeteri propemodum omnes poenas dederunt, ſolus Aureolus infeſto erga principem animo eſſe pergebat;* quaeque Oroſius ita deſcribit: „*ſed cito ira Dei in miſericordiam verti-* „ *tur, et coeptae vltionis maior forma, quam* „

 poena „

(*g*) *Lettre du Pere Etienne Chamillard ſur les Medailles du Galien, ou l'on fait voir, que tous les Hiſtoriens ſont d'accord avec les Medailles. dans les Memoires de Trevoux.* a. 1719. Nouembr. p. 95. ſequ.

„*poena in mensuram plenitudinis reputatur.*
„*Igitur primus Genuus*, (Ingenuus) *qui*
„*purpuram Imperii sumserat, apud Myss-*
„*sam occiditur. Posthumius in Gallia inua-*
„*sit tyrannidem, multo quidem reipublicae*
„*commodo: nam per decem annos ingenti*
„*virtute ac moderatione vsus et dominantes*
„*hostes expulit, et perditas prouincias in*
„*pristinam faciem reformauit; seditione ta-*
„*men militum interfectus est. Aemilianus*
„*apud Moguntiacum, cum res nouas molire-*
„*tur, oppressus est post mortem Posthumii.*
„*Marius ibidem inuasit imperium, sed con-*
„*tinuo interfectus est. Deinde Victorinus*
„*a Gallis vltro creatus, et post paululum occi-*
„*sus est. Huic successit Tetricus, qui tunc*
„*Aquitanicae praesidatus administrabat offi-*
„*cium, multasque seditiones militum per-*
„*tulit. At vero in Oriente per Odenatum*
„*quendam collecta agresti manu, victi, re-*
„*pulsique Persae, defensa Syria, recepta*
„*Mesopotamia est; et vsque ad Ctesiphontem*
„*rusticani Syriae cum Odenato suo vincendo*
„*venerunt*". Descripsi totum locum ideo, vt appareret, admodum probabile esse, eo tempore talem numum cudi potuisse. Porro ii, qui hunc numum ab ipso Gallieno cusum esse existiment, aliis monimentis ad suam senten-

sententiam firmandam bene vti poterunt. Sunt inscriptiones magnificae, Gallieni honori dicatae. Dabimus exempla quaedam. Prima sit illa (*h*):

GALLIENO CLEMENTISSIMO PRINCIPI
CVIVS INVICTA VIRTVS SOLA PIETATE
SVPERATA EST.

quam quomodo Grainvillius satyricam censere potuerit, non video. In alia inscriptione (*i*) MAGNVS ET INVICTVS audit, quod saepius elogium (*k*) illi datur.

Quodsi vero numos Gallieni perlustremus, maximas felicitatis et tranquillitatis laudes in iis legimus. Estne ea inscriptio, quae tot homines offendit, honorificentior illa: PAX FVNDATA (*l*), aut his: SECVRIT. PERPET. SECVRIT ORBIS (*m*), aut istis: OB CONSERVATIONEM PATRIAE: PAX AETERNA: FELICIT. PVBL. SAECVLI FEL: PAX PVBLICA: ABVNDANTIA AVG. (*n*)

(*h*) v. *Gruter.* p. 274. (*i*) Ibidem.
(*k*) in *Sponii Miscellan.* p. 301.
(*l*) *Vaillant. Num. Praest. Imp. Rom.* T. II. p. 365. (*m*) *Ibid.* p. 368.
(*n*) Banduri *Numism. Imp. R.* T. I. p. 171. 173. 177.

Taceo alios; in quibus Gallienus sub Herculis aut Mercurii habitu apparet (*o*), aut qui Aequitatem cum cornu copiae, et Iouem Pacatorem orbis celebrant (*p*). Non quaero, an vere haec omnia Gallieno tribuantur, immo assentior Bandurio, dicenti, (*q*) „verius „numos inscribi debuisse: *Calamitas publi-* „*ca: Miseria publica: Clades publica*". Sed apparet tamen, in quampluriimis numis, quos minime satyricos existimare licet, eadem elogia legi, quae in nostro. Inprimis autem memorandi sunt duo alii numi. In altero (*r*) est caput Gallieni cum corona, siue graminea, siue laurea, et in altera parte legitur: VBIQVE PAX. vnde verisimile fit, inscriptionem in illo numo vitio monetarii esse corruptam, cum in hoc GALLIENVS AVG. clare legatur. Alter est Saloninae numus; Satyricus etiam a quibusdam iudicatus. Describitur ille et explicatur a Vaillantio

(*o*) vide *Iuliani Caesar.* ex edit. Spanhemii. p. 102. et Hauercampium ad *Orosii Histor.* L. VII. c. 22. p. 519. adde Gorium ad *Numism. Florent.* II. p. 24.

(*p*) v. *Thes. Palatin.* p. 342. et *Brand.* T. II. p. 744.

(*q*) ad l. c. p. 161.

(*r*) vid. *Museum Pembroch.* P. I. t. 21. et *Numism. Cimeliarch. Vindobon.* T. I. t. 12. 19.

lantio (*s*) sic: "AVG. IN PACE. Figu-„ ra muliebris sedens, dextra ramum, sinistra „ hastam transuersam. Haec inscriptio in Sa-„ loninae nummo insolens et obscura Trista-„ no nostro videtur, sed non inspexerat num-„ mum, in Gallieni ludibrium cusum, cum Gal-„ lienae Augustae nomine, et epigraphe: *Vbi-„ que Pax*, dum totus orbis Romanus a bar-„ baris vndique premeretur; vnde in dede-„ cus hunc etiam eius coniugi signatum pu-„ tamus a quodam tyranno, qui similiter„ eam *in pace Augustam* appellauerit, dum„ per omne imperium continuo arderet bel-„ lum." Sed contra ego inde, quod quamplurimi numi sunt, qui ad illius similitudinem accedant, eademque elogia habeant, apparere puto, minime ad Satyricos illum referri debere. Praeterea etiam, si comparo numos cum hac inscriptione a Bandurio datos (*t*) cum iis, quos indicatos inuenio in opere, quod ab Occone inceptum, Mediobarbo auctum et Argelato fere perfectum fuit (*u*), video quatuor diuersos esse numos; differentiam additis litteris facientibus. Eos igitur publica auctoritate per-

H 5 cussos

(*s*) in *Numism. Praest. Imp. R.* T. II. p. 375

(*t*) *Numism. Imp.* T. I. p. 237.

(*u*) p. 380. 381.

cussos esse, vel ipse hic eorum numerus docet, cum non probabile sit, si Satyricus esset, tot eiusdem numi exempla facta fuisse. Tristani (*x*) sententia haec est: *Mon opinion est, que Salonine est qualifiée* Augusta in pace *en cette Inscription, comme animant de son genie la Deesse Pax, sous l'attribut de laquelle elle est representée le rameau d'olive en sa main & assisse en estat calme & tranquille.*

Vnum addam, quo et ii, qui numum serium putent, vti poterunt, et, qui aliter sentiant, quodque miror ab iis neglectum esse, qui de hoc numo disputauerunt. Copiose Trebellius Pollio (*y*) describit triumphum, quem Gallienus, interfectis apud Byzantium militibus, egit: *Quasi*, inquit, *magnum aliquid gessisset, Romam cursu rapido conuolauit, conuocatisque patribus, decennia celebrauit, nouo genere ludorum, noua specie pomparum, exquisito genere voluptatum* — multis interiectis pergit: *Ibant praeterea gentes simulatae, vt Gothi, Sarmatae, Franci, Persae, ita vt non minus, quam ducenti singulis globis ducerentur. Hac pompa homo*

(*x*) in *Commentar.* T. III. p. 100.
(*y*) p. 178.

homo ineptus eludere ſe credidit populum Romanum (z). Nonne igitur, vt perfecta eſſet triumphi laetitia, etiam numis, vbique eſſe pacem, vndique victoriam reportatam, teſtari potuit Gallienus? Ii vero, qui numum Satyricum cenſeant, nullum habebunt aptius tempus, cui illum adſcribant, quam hoc. Nam Pollio narrat, illam pompam a *ſcurris quibusdam eluſam* eſſe, quos Gallienum viuos combuſſiſſe addit. Quidni enim, dicent, etiam in numis Imperatoris ſtultitiam, triumphos, victorias et pacem mentientis irridere potuerunt, quam eluſerunt verbis?

Expoſui, quae mihi pro vtraque opinione dici poſſe viderentur, omnia, quae conſiderent velim lectores et expendant. Equidem, etſi aliquam dubitationem animo meo inſidere non negem, magis tamen in eam inclino partem, vt hunc numum, monetarii errore corruptum et in honorem Gallieni cuſum fuiſſe exiſtimem. Quod ſi verum eſt, nullus erit omnino antiqui temporis numorum, qui ad contumeliam cuiusquam, aut irriſionem cuſus ſit. Nam eos, de quibus egimus, immerito hoc nomine ſuſpectos eſſe, ſatis luculenter nobis demonſtraſſe videmur. Ipſe

(z) adde Aur. Victor. *de Caeſar.* c. 33. p. 402

Ipse fateor, me mirari, non vsurpatum fuisse hoc Satyrae genus iis temporibus, quibus pessimi principes satis benignam ridendi materiem praeberent, et homines satis ingeniosi essent, et acuti in aliorum vitiis facete perstringendis. Fateor equidem, rem prope incredibilem videri, si cogitemus, quo iniuriarum contumeliarumque genere Imperatores adfecerit populus, quos odio habebat. Eorum enim statuas imaginesque euerterunt, luto conspurcauerunt, titulosque ex numis et lapidibus eraserunt. Domitiani mortem tam iucundam Senatui fuisse narrat Suetonius (*a*) vt *repleta certatim curia non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceraret; scalas etiam inferri, clypeosque et imagines eius coram detrahi, et ibidem solo affligi iuberet: nouissime eradendos vbique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret.* Atque idem Maximini monumentis contigisse, testatur Iulius Capitolinus (*b*), qui, *iuuenes*, inquit, *Maximini statuas deiecerunt: imagines perfregerunt, nomen publicitus eraserunt;* atque de Commodo Cingius Seuerus censet (*c*), eius,

(*a*) cap. 23. add. Aurel. Vict. *c. XI. in Caesar.*
(*b*) *vit. Gordian.* c. 9.
(*c*) Lamprid. *vit. Commod. c.* 20.

tius, qui non nisi ad perniciem et ad dedecus suum vixit, abolendas statuas, nomenque ex omnibus priuatis publicisque monumentis eradendum esse. Atque ita multorum marmorum exemplo apparet, erasa esse Imperatorum nomina, relictaque sola eorum honorifica elogia (*d*): id quod fatum Neronis inprimis saxa experta sunt, atque in Caligulae et Getae (*e*) saxis bene docti viri obseruauerunt et docuerunt. Pariter inscriptiones Imperatorum et luto commaculatas et nigro colore obscuratas esse constat (*f*). Licet vero haec ita sint, numi tamen exemti fuisse

(*d*) vid. *Gruteri Inscript.* IX, 4. XXXII, 10. CXIV. 4. CCLXX. 6. CCCXIX. 7. CLXXIII. 1. et alias; adde Reinesium ad *Inscript. X.* 5. *p.* 601. Cuperum ad *Lactant. de mort. persecut.* c. 3. p. 129. Alexandr. de Nigris *de vetustiss. lapideae cuiusdam inscript. erasione in* Maluasii *marmor. Felsin.* S. III. cap. 4. Fabrettum *de Columna Trai.* C. II. p. 36. Io. Vignolium *Dissert. I. de anno primo imp. Seuer. Alex.* p. 25. *et II.* p. 91.

(*e*) v. Annibal. de Abbatibus Oliuerium ad *marmora Pisaurensia* p. 34. et Nardinum in *Rom. Vet.* L. V. c. 6.

(*f*) Euseb. *Hist. Eccl.* L. IX. c. 2. Lamprid. *vit. Elogabal.* c. 13. et consule Io. Dominic. Bertolium in *antiquitatibus Aquileiensis.* p. 284.

fuisse videntur furore, odio et inimicitia populi. Num forte, cum eiusmodi numorum exiguus plerumque numerus edatur, dicamus, eos omnes interiisse? Num, cum neque scriptorum quispiam eiusmodi numorum mentionem iniecerit, et mirum alicui videri possit, cum tam varii generis numi conseruati sint, Satyricorum nullum exstare, nullos omnino fuisse credamus? Sed fortasse etiam hac in re plura et certiora docebit dies, et tempus; cum quotannis benigna fortuna complures antiquos numos e terris erui videamus, vnde multa cognoscuntur, quae maiorum aetate plane incognita essent. Quis etiam neget, nepotes nostros, si modo bonis litteris suus honos maneat, neque Musae e Germania excedere cogantur, multas partes rei numariae melius intellecturos esse, quae nobis plane nunc obscurae sunt? Mihi sufficit, ostendisse, inter eos, quos nunc habemus, numos antiquos nullos esse Satyricos, nullos contumeliosos.

Progrediamur ad recentiora tempora, eorumque numos eo consilio perlustremus, vt Satyricorum originem indagemus. Quo in negotio vt eo felicius versemur, opus profecto est, vt poetas imitemur, qui Deorum Musarumque opem implorant, vbi ad diffi-

cilem

cilem aliquem locum peruenerint. Ita nos etiam aduocabimus prece Mercurium: non solum, quia numorum ditissimus creditur, sed quoniam etiam aurea virga leuem turbam coercere poterit, quam, quoniam sibi tantummodo numorum explicandorum prouinciam datam esse existimat, magno clamore sublato nostros labores vituperaturam esse praeuidemus. Hi sunt illi, quorum caussa votum amici cuiusdam mei lubenter vsurpo, hisque solis precibus Deos bonos fatigo:

O precor, facite, vt caput sit vnum,
Quicquid vsquam hominum est ineptiorum,
Quos alto feriam simul flagello.
Isthac ne mihi cura sit perennis!

Nunc ad rem ipsam pergamus.

Si fabellis quibusdam fides habenda esset, non diu nobis quaerendi forent numi Satyrici primi. Numulos quosdam, manum extensam habentes, ab Imperatore Henrico IV. in contumeliam Rudolphi, cui in praelio prope Merseburgum a. 1080. manus abscissa, cusos esse putant (g). Dedit eiusmodi

(g) v. Cyriac. Spangenberg *de vsu et abusu Monet.* addit. Tilemanni *speculo rei Monet.* (Francof. 1592.) p. 18.

modi plures Schlegelius (*h*), dedit memorabilem Koehlerus (*i*), cuius in vna parte est crux, in altera manus cum parua rosa. Sed docte vterque ostendit, numorum horum patriam esse Halam Sueuorum: eos deinde in aliis vrbibus cusos fuisse: illum cum rosa deberi vrbi Altenburgo, cum et manus sit vrbis, et rosa olim fuerit Burggrauiorum Altenburgensium insigne.

Satyricus, aut potius contumeliosissimus omnium, censetur vulgo ille, quem magna illa Septentrionis Regina, Margaretha, cudit (*k*).

Habet ille in altera parte imaginem reginae, humero tenus, nudo pectore, demissis capillis, coronato capite. In altera est typus, quo alii litteram O, alii sexus muliebris insignia notari putant.

Qua

(*h*) in *differt. de numis antiquis Gothanis, Cygnaeis, Coburg.* Francof. et Lipf. 1717. tab. 1. p. 21.

(*i*) in *Historischen Münz-Belustig.* T. XII. p. 257.

(*k*) datur hic numus, in Eliae Brenneri *Thes. Nummor. Sueo-Gothicor.* t. V. et in Koehleri l. c. P. VII. p. 241. adde Kundmanni *Numos Singular.* p. 117.

Qua de ſententia vt recte iudicari poſſit, hiſtoriam reginae breuiter enarremus oportet. Magnus Smek, rex Sueciae et Noruagiae duo habuit filios, Ericum et Haquinum. Hic rex Noruagiae conſtituitur, et regis Daniae Woldemari filiam, Margaretham, in matrimonium ducit. Relinquit filium Olaum, quo mortuo, Margaretha Daniae et Noruagiae regina fit. Sueci infenſi Alberto Megapolitano, Margaretham aduocant, illique ſceptrum deferunt, quae, victo a. 1388. Alberto, omnium ordinum ſuffragiis fit regina. Hanc igitur tum hunc nummum in contemtum Suecorum cudiſſe, varii ſcriptores tradiderunt, quorum princeps eſt Ericus Olaus, qui temporibus Caroli Canuti vixit, atque haec memoriae prodidit (*l*): „Quae promiſſa fuerant conſi-„ liariis regni Sueciae, in ludibrium conuer-„ tebat. Vnde et in perpetuum ludibrium „ et opprobrium regni monetam quandam „ inſtituit, turpitudinis ſexus ſui inſignia prae-„ ferentem„ Koehlerus vero, Brennerus, aliique huic narrationi fidem adhibere nolunt. Ille dicit, Suecorum erga Danos et Marga-

rethám

(*l*) in *Hiſtor. Suec. Goth.* L. V. p. 150. ed. Loccen.

retham odium cauſam fuiſſe huius accuſationis: Suecos ob maiora tributa reginae non fauiſſe, atque ideo forte peſſimá quaeque ſuſpicatos eſſe. Hic vero docte oſtendit, eo tempore in more fuiſſe poſitum, vt numi littera prima aut Principis, cuius auctoritate, aut vrbis, in qua cudebantur, nota ſignarentur. obſeruari hoc in numis Erici M. et Alberti: Ö eſſe initium verbi *Örebroae*, antiqui Nericiae oppidi, eiusque litterae figuram Danicam eſſe ø: quam eandem notam vrbem inde ab iſto tempore in omnibus menſuris et ponderibus ſeruare: punctum vero in medio inde ortum, quia caelatores in numorum matricibus caelandis rudius vſi eſſent circino, cuius veſtigium illud punctum. Pontanus (*m*) etiam refutat hanc fabellam: „Addunt, inquit, (Sueci), „in dedecus quoque gentis ſuae et veluti ſocordiam exprobrando viris ea parte, quam „in foeminis natura tectam vult, numum „ſignaſſe, ſed hoc, vt quaeque natio ſibimet ac ſuis applaudit, alienigenis minus „eſt aequa, ita in eam quoque, quod Dana, „non Sueca eſſet, fuiſſe confictum, aequiores facile concedent. Nam de numo quod „afferunt,

(*m*) in L. IX. *rer. Danicar.* p. 544.

afferunt; casu, non studio factum, vt so-„ let subinde in exprimendis numorum ecty-„ pis per negligentiam, aut alias rudiculae „ fortuita positione, aut vsu longiore attri-„ tae aberrari: et facile id fuisse in numo „ isto, liquere hinc potest, quod, vt altera „ pars effigiem foemineam, cum parte cri-„ nium hinc in nodos collecta, illinc soluta, ex-„ hibuit, ita altera characterem O, qui Da-„ nis cum virgula transmissa vsurpatur loco „ diphthongi, expressum habuit. At hoc ni-„ hil obscoeni aut probrosum: sed Örebro de-„ signabatur, qui locus siue oppidum fuit, mo-„ netae id temporis ius habens, iuxta in-„ super Daniae, Sueciae, ac Noruagiae regno-„ rum concursum propemodo collocatur, vt „ ita nihil eo indicatum sit aliud, quam nu-„ mum eum vbiuis valuisse, et omnibus Da-„ niae, Sueciae, Noruagiae districtibus fuisse „ communem etc. „ Haec igitur si cogito, per-pendoque simul, reginam non bellum ges-sisse cum Suecis, sed eorum auxilio cum Al-berto, neque causam habuisse, illos hac in-iuria afficiendi: multo magis moueor, vt numum hunc non Satyricum censeam; quam eo, quod alii dicunt, vix credibile esse, reginam eo impudentiae processisse, vt hoc typo numos signaret. Nam primum Mar-

 garetha

garetha non castissima fuisse dicitur, minimeque Vestalis: deinde tempore recentiori, quo politiores mores sunt, certe esse dicuntur, ex quo Francia Germaniam sua elegantia beauit, notum est, quid numo alicui imprimi curauerit Augustus, primus e domo Saxonica Poloniae rex.

Picturas ignominiosas iis et paullo post sequentibus temporibus non ignotas fuisse constat. Est epistola Germaniae Episcoporum ad Pontificem, Hadrianum IV. in qua de pictura ignominiosa conqueruntur (*n*): *Nunc demolitur Imperium;* dicunt, *a pictura coepit, ad scripturam pictura processit. Scriptura in auctoritatem prodire conatur. Non patiemur, non sustinebimus! — Picturae deleantur, scripturae retractentur, vt inter regnum et sacerdotium aeterna inimicitiarum monumenta non remaneant.* Nempe pictura haec Imperatorem Lotharium, imperium regnumque Italicum donatione Pontificis accipientem, exhibuerat. Atque, vt alia taceam, procul dubio Alexandri III. tempore facta fuit illa, quae in cubiculo quodam

(*n*) v. Radeuicum *de Gestis Friderici*. p. 271. ed. Basileens. a. 1569. add. ill. Hommelii *Iurisprudent. Numismat*. p. 112.

quodam Vaticani conspicitur, tabula (*o*), quae Fridericum I. supplicem exhibet, humeroque eius recto Papam pedem imponentem, cum inscriptione contumeliosa.

Primo anno seculi XVI. nummus Satyricus tribuitur.

A. Facies viri cum mitra coronata. FERDINANDVS. R. AR. VETVS. VVLPES. ORBIS. B. lupus agnum rapiens et mordens. IVGVM. MEVM. SVAVE. EST. ET. ONVS. MEVM LEVE.

Luckius hunc numum exhibet (*p*), appellatque vindicem acceptae a Ferdinando iniuriae, cusum a Friderico II. Siciliae et Neapolis rege a. 1501. Vbi vellem, plura de hoc numo Luckius dixisset, quem me non memini alias videre, et longo forte tempore post cusum suspicor. Nam fere non intelligo, vnde Fridericus tantos animos sumserit, cum, quod toto regno erat exutus, tum, quia ipsius filius, Ferdinandus, dux Calabriae, in Hispanorum

I 3 potestate

(*o*) vid. *Keyßlers Neueste Reisen.* P. I. p. 788. adde Crusii *Annales Sueuic.* L. XI. P. II. p. 464.

(*p*) in *Syll. Numism. Elegant.* p. 4.

poteſtate erat. Quare multo probabilius eſt, hunc numum ab aliis, qui Ferdinando non fauerent, percuſſum fuiſſe. Mieris (*q*), qui eum etiam dat, et ad annum 1512. refert, ita dicit: (vertemus enim Belgica verba latine.) „Quia Ferdinandus fraudulenta cal„liditate et neglecta ſanctitate omni foede„rum, ſi aliquid lucri habere poterat, vbi„que malam famam contraxerat, immo „etiam non parum fraudibus ſuis gloriaba„tur, ita, vt aliquando, quaſi regem Galliae „bis decepiſſet, a quodam accuſatus, mentiris, „reſponderet, saepius, quam decies, illum „decepi: facile poteſt intelligi, quas ob cau„ſas illi hic numus contumelioſus dicatus „ſit". Ego puto, illis verbis *Iugum meum* etc. reſpici forte ad alium numum Ferdinandi, ibidem datum, qui in auerſa habet coronata inſignia Siciliae, Neapolis, et Hieroſolymorum, et ab vtraque iugum, cum eadem inſcriptione: *Iugum meum* etc. Quemadmodum illo loco onus imperii indicatur, quod Ferdinandus lubenter ſuſtinere praedicatur: ita altero numo ad riſum detortum eſt illud dictum. Si igitur numus, de quo loquimur, a. 1503. aut ſequentem praeferret, putarem illum

(*q*) *Hiſtori der Nederlandſche Vorſten*. P. I. 449.

illum cusum esse a Ludouico XII. Galliarum rege, quem calliditate sua, vereque vulpino astu regno Neapolitano eiecerat Ferdinandus.

Quare numum, qui huc pertineat, nullum inuenio antiquiorem illo, quem Ludouicus XII. rex Galliae, odio erga Iulium II. Pontificem Rom. ductus a. 1512. cudit. Magnae inter hunc regem et Pontificem inimicitiae ortae erant, atque hic illud operam dare videbatur, vt eum exueret possessione terrarum, quas in Italia habebat. Quod cum diu frustra efficere laborasset, anno tamen seculi XVI. duodecimo, Hispanis, Venetis, et Helvetiis in societatem consilii venientibus, voti damnatus fuit.

Hinc rex ira et indignatione iusta incensus, numum cudit, cuius in aduersa parte est caput regis coronatum cum epigraphe: LVDO. FRAN. REGNIQ. NEAP. R. in auersa clypeus coronatus, tria lilia Francica praeferens; in margine legitur: PERDAM BABILONIS NOMEN (*r*).

(*r*) hunc dat Iunckerus *in dem Guldenen und Silbernen Ehren-Gedaechtniss* Lutheri p. 30. quan-

Christ. Siegism. Liebius, qui totum librum (s) de hoc numo edidit, varia huius numi exempla adfert. quidam numi aurei habent PERDAM BABYLLONIS NOMEN: alii BABILONIS. Immo sunt, qui in vna parte LVD. XII. REX FRANC. DVX MEDIOLANI: ex altera PERDAM BABYLONEM habent: alii, vt ille, quem dedimus, inscripti fuerunt, sed numerum anni 1512. ad latus vtrumque positum habent in parte auersa. sunt etiam argentei, in reliquis similes, nisi quod in vtraque parte additus sit inscriptioni idem anni numerus, et in aduersa legatur: LVDOVIC. FRANC. REGNIQ. NEAP.

quanquam non primus, vt putat, nam etiam dedit Koehlerus l. c. P. V. p. 225. Luckius in *Syllog. elegant. Numism.* p. 23. adde et plures alios libros: in his Struuium *in Biblioth. Antiqu.* 1706. mens. Febr. p. 73. sequ. adde etiam Le Blanc *dans le Traité Historique des Monnoyes de France*, qui p. 263. aduersam exhibet cum hac inscriptione: LVDO. FRAN. REGNIQ. NEA. adde denique *Frans van Mieris Histori der Nederlandsche Vorsten* T. I. p. 445.

(s) *Prodromi reformationis pia memoria recolendae, siue nummi Ludouici XII. regis Gallorum epigraphe — insignes, illustrati et inprimis contra I. Harduinum S. I. defensi.* Lipsiae, 1717.

NEAP. REX. Noui quidem, quid dixerint illi, qui inuisum aulae Romanae nummum, cum delere non possent, certe interpretatione emollire studerent. Varillassius Ludouicum, tantum sacerdotum fastum et perditos mores respexisse: Iac. Gretserus eum plane confictum esse: et Harduinus Ludouicum hoc nummo Soldano Aegyptio, Campsoni Gauro, Cairi sedem habenti, quam primariam Aegypti vrbem Babillonis nomine designari putat, bellum indixisse, animumque, quem post Neapolim recuperatam habuerit, terram, vt aiunt, sanctam recuperandi, declarasse, nobis persuadere conantur. Sed praeter Liebium huius argumenta bene refutauit Deylingius (*t*). Quare non opus est, vt aliquid addamus, praeter verba Thuani (*u*); historici summi integerrimique: "Cum Iu- „ lio II, inquit, non eandem coluit amici- „ tiam Ludouicus, quippe eum semper infe- „ stissimum hostem expertus, quem gratissi- „ mum amicum habere debuit: quae odia „ eo euaserunt, vt temere et iniuriose rex a „ Pontifice proscriptus, primo Caesaroduni Sy- „ nodo praesulum regni conuocata ipsum in „ ius vocauerit, deinde auctoritate quorun- „

I 5 dam „

(*t*) in *Obseruat. Sacris.* P. III. diss. 50. p. 399.

(*u*) L. I. p. 6.

H. A. Est eadem facies. B. vulpes monachali cum capitio gallo caput demordet. Inscriptio eadem (*y*).

Hos numos prouenisse dicit Mieris, cum Franciscus in captiuitatem incidisset. Fuisse enim, qui dicerent, Pontificem, suasisse Francisco expugnationem Neapolis ideo, vt illius copiae minuerentur, ideoque sub amicitiae specie Gallum fefellisse.

Maior eiusmodi numorum copia prouenit eo tempore, quo de religionis doctrina reformanda, Pontificisque Romani auctoritate minuenda, summa inter principes discordia orta fuit. Vtraque enim pars alteram satyris, inprimisque picturis contumeliosis, cum ad Pontificem (*z*), tum ad Lutherum (*a*) irridendum factis, quales nunc quoque in vetustis codicibus conspiciuntur, perstringere et exacerbare studuit. Inde etiam Carolus V. grauissimis legibus hoc iniuriarum genus impedire et extinguere studuit. Nam in Recessu Imperii, Norimbergae,

(*y*) Ibid. T. II. p. 210.
(*z*) vid. Io. Samuel Brunquelli *dissert. de pictura famosa.* Ienae 1733.
(*a*) vid. Friedr. Hordleder *von den Ursachen des Teutschen Krieges.* L. VI. c. 10. p. 1418.

bergae, a. 1524. (*b*) edicit: "*Darzu dass*„ *eine iede Obrigkeit bey ihren Drucke-*„ *reyen, und sonst allenthalben nothdürff-*„ *tig Einsehen haben sollen, damit Schmaeh-*„ *schrifft und Gemaehlde hinfürter gaentz-*„ *lich abgethan und nicht weiter ausgebreit.*„ Legimus idem in Rec. Imp. Augustae a. 1530 (*c*). *Dass hinfürter nichts Neues und sonderlich Schmaehschrifft, Gemählde oder dergleichen weder öffentlich noch heimlich gedruckt* etc. Porro etiam in Ordinat. Politiae, Augustae, a. 1548. (*d*) — *dass solche schmaehliche Bücher, Schriften und Gemaehlde und Gemaechte, — dass — nichts schmaehliches, passquilischs oder anderer Weiss — gedicht, geschrieben, in Truck bracht, gemahlt, geschnitzt, gegossen, und gemacht* etc. Tum in Rec. Imp. Erfordiae, a. 1561. (*e*) Maximilianus *Schmaehschrifften, Gemalhde und aufrührisch Tractaetlein*, atque in R. I. Spirae a. 1570 (*f*) *allerley*

(*b*) in *Allen des heiligen Römischen Reichs gehaltenen Abschieden.* (Moguntiae 1692.) p. 207. §. 28.

(*c*) §. 58. p. 251.

(*d*) XXXIV. p. 512.

(*e*) §. 61. p. 678.

(*f*) §. 154. p. 810.

ley schamlose Schmaehschrifften, Bücher, Karten und Gemahlde proscribit. Denique Rudolphus in Ordinat. Politiae, Francofurti, a. 1577. (*g*) verbose commemorat hoc iniuriarum genus: *schmähliche Bücher, Schrifften, Gemälde und Gemaechte — nichts schmähliches oder pasquillischs oder in andere Weiss, wie das Namen haben, und in was Schein das beschehen möcht, gedicht, geschrieben, in Truck bracht, gemahlt, geschnitzt, gegossen oder gemacht, sondern wo solche und dergleichen Bücher, Schrifften, Gemälde, Abgüss oder sonst vorhanden waeren* etc. Exstat etiam Mauritii, Saxoniae, mandatum (*h*) a. 1549. ad Senatum Lipsiensem datum, in quo mentio fit *Bücher, Liedere, Reime und Gemälde*, quae omnia facere et vendere nefas esse pronunciatur: quae lex postea a pluribus Saxoniae Electoribus repetita fuit. Sed nunquam fit mentio numorum, nisi velis dicere, illos per *opera fusilia*, quae commemorantur, indicari. Cusi vero videntur illo tempore in ipsos reformatae tum doctrinae auctores, Lutherum et Caluinum, aliquot numi.

A. Lu-

(*g*) Tit. XXXV. p. 887.

(*h*) in Lunigii *Codice August.* P. I. p. 466.

A. Lutherus monachali habitu. HAERESIBVS SI DIGNVS ERIT LVTHERVS IN VLLIS ET CHRISTVS DIGNVS CRIMINIS HVIVS ERIT. 1521. B. mulieris eleganter ornatae et vestitae effigies. CATHARINA VON BORA (*i*).

Petrus Antonius de Comitibus Gaetanis nummum hunc, mortuo iam Luthero, a pontificia manu in illius irrisionem cusum dicit. "Cum enim, ait, inuersum exhibeat effigiem Catharinae Borae, Sanctimonialis Nymptschensis ad Grymmas, scilicet illius foeminae, quam claustris ereptam ab a. 1523. Lutherus post biennium tantum, ac postquam religiosum habitum cum votis abiecisset, id est, anno 1525. vxorem sibi copulauit; aduersum vero eundem Lutherum repraesentat adhuc cucullatum: quid aliud supicer? Sane fateor, priorem partem istius Numismatis eadem impia satis inscriptione, eodem modo efficto Luthero, eodemque anno signatum, sed inferioris aliquantum magnitudinis dedisse Iunckerum (*k*), atque ad felicem euasionem Prophetae"

(*i*) v. in *Museo Mazzuchelliano*. T. I. t. 54. n. 7.
(*k*) est *Iunckerus*, cuius librum supra laudauimus.

„phetae sui ex Vormatiensi Congressu ap-
„plicasse: illius tamen oppositum Christi
„crucem tenentis imagine et inscriptione:
„*Ego sum via et veritas: nemo venit ad*
„*patrem, nisi per me*, ornauerat, quae qui-
„dem, vt rei, et tempori congruebant, sic
„in honorem Lutheri, quamuis adhuc mo-
„nachi, redundare poterant. At qui factum
„est, vt in nostro incongruenter et intem-
„pestiue alia facie omnino diuersa coniun-
„geretur, et affingeretur monacho pellex,
„nisi vt clarius appareret, quam temerario
„ausu eius iconi inscriptum fuisset illud:
„*Haeresibus* —?"

Alter in Caluinum numus hic est:

A. illius effigies. IOAN CALVINVS.
B. anima illius, in igne iacens Stygio, cruciatur a duobus daemonibus, quorum alter ardentem facem illius capiti impingit (*l*).

Produxit plures id seculum, quorum aliquem ab anno 1584 dat Liebe (*m*), qui altera parte habet verba: SIC RVET ALTA BABILLON, et angelum

(*l*) Ibidem in *Mus. Mazzuchell.* T. LXXII. 1.
(*m*) libr. citat. p. 93.

lum folem e coelo in mare deiicientem; altera: FORTIS DNS QVI IVDICABIT EAM, vrbem accensam et facerdotem Romanum fibi capillos euellentem.

Plures eiusmodi numos dat Iunckerus, quos omnes repetere non opus eft. Tantum paucos dabimus.

A. Effigies Caluini. IOHANNES CALVINVS M. infra *AK.* id eft, Andreas Karlftein. B. Veritas fub figura mulieris: irradiatur caput nubibus: ad os columba volat: manibus librum tenet: conculcat pedibus coronam papalem, baculum epifcopale, aliaque eiusmodi: ab vtraque parte fugiunt epifcopi, abbates, monachi. Infra VERITATE (*n*).

Exftat fere fimilis huic numus, vbi, quod in illo veritas, Lutherus facit, dextra lumen, finiftra librum cum feptem figillis tenens, addito ferpente coronato et fe curuante. Infcriptio eft: MAGNVS. ERAT. VITA. MAIOR. SER-

(*n*) P. 175.

SERMONE. DOCENDO. MAXIMVS. (o).

Inprimis vero, ab a. 1537. vsque ad a. 1547. Nicolao, vt dicunt, Ambsdorfio auctore, plures numi prodierunt, qui habent caput aut Pontificis, aut Cardinalis, aut Episcopi: si vero numum vertis, ita, vt, quae pars antea superior fuerat, nunc inferior sit, habes caput morionis aut diaboli. In-scriptiones sunt variae: modo: STVLTI ALIQVANDO SAPITE, et: ECCLESIA PERVERSA TENET FACIEM DIABOLI. modo: EFFIGIES CARDINVM MVNDI, et: EFFOEMINATI DOMINABVNTVR EIS. modo: MALI CORVI MALVM OVVM. In alio est clypeus cum tribus coronis: quorum cuiuis elephas insistit. INSIGNI. CIVIT. BABIL. B. Draco septem capitum, cui insidet mulier

(o) p. 221. Dat eiusmodi numos etiam Mieris P. III. p. 132. inter quos etiam vnus, qui habet angelum cum tuba et libro aperto volitantem per aëra, vrbem corruentem, et verba: CECIDIT CECIDIT BABYLON MAGNA. p. 193. vide duo ad irridendum librum, qui *Interim* inscribebatur.

mulier cum calice, quam adorant duo reges: MERETRIX BA. APOCALIPS. CAP. XVII. H. K. Dat Iunckerus (*p*) quindecim Satyricos numos in Papam, et duo in librum, qui dicebatur: INTERIM. quorum ſi quis pleniorem ſcientiam habere cupiat, poterit librum illum euoluere.

Vidimus plures picturas ad opprobrium Papae eo tempore excogitatas, factasque, quas nemo ſapiens probabit, quibusque tantum animi magis exacerbati, diſcordia aucta, et ſpes amicitiae ſublata fuit. Qui eas Luthero ipſi tribuunt, forte iniuriam faciunt viro prudenti. Illius diſcipulis deberi illas credo. Interim tamen Sleidanus (*q*) duas eiusmodi picturas recenſet, et a Luthero libris quibusdam praefixas eſſe cenſet. Vbi lubenter nomen meum in iis profiteor, quos dicit *haec illius ludicra taxaſſe, vt parum ipſo digna, neque ſatis verecunda.*

 Huc

(*p*) a p. 329. confer Gretſerum *de cruce* T. III. L. I. c. 3. p. 1796. Iobertum *dans la Science des Medaill.* p. 12. T. I. Seckendorffium in *Hiſtoria Lutheraniſmi* L. III. p. 478. §. 113. Plures dat eiusmodi numos van Mieris in *Hiſtori der Nederlandſche Vorſten* P. III. p. 112.

(*q*) Comment. de Statu Relig. et Reip. p. 469.

Huc etiam pertinent sequentes numi.

A. Tres viri toto corpore armati stant clypeosque armis suis ornatos tenent. Supra in scheda: PHILIPVS IOHANIS FRIDE MAVRITZA. Inscriptio est: IVSTVS N. RELINQ. B. DES 21 OCTOBRIS ANNO 1545. WARD HERTZOG HENNRICH V BRVNS. MIT SEINEM SON KARLV BEI BOCKOLOM DVRCH DI KRISTLICHE BVNTZ. OBERST. LANTGRAF. PHILIPS VAN HESSEN BEISEIN HERTZOG MORITZ VAN SACHSEN E. MIT GROSER HERES-KRAFT. ERLEGT. GEFANGEN VND GEN KASSELL GEFVRT. Sunt hi numi aurei argenteique (*r*).

Henricus Iunior, Dux Brunsuicensis, thaleris, quos a. 1531. 1534. 1539. 1541. cuderat, ea verba inscripserat: *Non vidi iustum derelictum:* aliis etiam: *Iustitia non derelinquitur* (*s*). Cum vero Electoris Ducisque Saxoniae et Landgrauii Hassiae copiis eo redactus esset,

vt,

(*r*) dat Koehlerus l. c. P. V. p. 113.

(*s*) vid. *Hamburgische Remarquen.* P. IV. p. 41. et IX. p. 273.

vt, nulla victoriae ſpe relicta, d. 21 Octobr. a. 1545. ſe vna cum filio tradere cogeretur, hic numus cuſus eſt: in quo litteram N. per *nunc* explicant, et ad illam ſententiam reſpici aiunt.

A. Clypeus cum armis Hiſpaniae et Auſtriae, quem duplex ſcriptura circuit. exterior: VICTORIA. INVICTISS. CAROLI. V. IMPERATORIS. GERMANICI. SEMPER. AVG. interior: VICTOR GAVDET VICTVS MOERET. Supra: MDXLVI. XXII. NOVEMBRIS. B. Aquila imperii biceps, vtroque roſtro tenens caput, a quo laqueus dependet, qui per caudam volutus quatuor vrbes cingit. Aquilae incumbit corona Caeſarea. LAQVEVS SCHMALCALDENSIS CONTRITVS EST ET NOS LIBERATI SVMVS (*t*).

Hic thalerus Auguſtae Vindelicorum, vt putant, cuſus eſt, iis, qui foedere Schmalcaldenſi coniuncti arma contra Carolum V. ceperant, ſine praelio diſſipatis. Per duo capita Electorem Saxoniae et Landgrauium Haſſiae, per vrbes in numo, vrbes Imperiales,

(*t*) dat Koehler. l. c. P. III. p. 57.

les, quae hoc foedere coniunctae, post illorum discessum non diutius resistere poterant, indicari putant.

A. Caput Imperatoris laureatum, et ordine velleris aurei ornatum. IMP. CAES. CAROLVS V. AVG. R. Iupiter aquilae insidens, Diis cinctus, fulminans in Titanes coelo, quod oppugnant, deiectos. DISCITE IVSTITIAM MONITI (*u*). Est et idem numus in aduersa cum inscriptione: NICOLAVS. BARO. ET. DO MADR. AVI. ET. BRENT. ETC.

Hunc numum, postquam Viteberga se Imperatori tradiderat, a. 1547. praefectus Caesareus Vitebergensis, Nicolaus Baro Madrucius in honorem Imperatoris cudit: quo principes protestantium partium cum Titanibus comparat. Pergamus ad alios.

Dat idem Luckius (*x*) alium Caroli V. numum, a. 1547. cusum, in quo, vt illius verbis vtar, Caesar Herculis sub imagine Saxonem cum sociorum quodam claua contundit, prosternit, supprimit:

(*u*) dat Luckius p. 124. et Koehler l. c. P. XVI. p. 125.

(*x*) l. c. p. 126.

primit: Landgrauio Hassiae sub typo Satyri ad arborem allegato: vnitis ciuitatibus, quas Hydra repraesentat, frustra conatibus eius resistentibus.

A. Effigies Philippi, Hassi, thoricata, capite nudo, in dextra baculum, regiminis insigne, tenens, sinistram admouens gladio, quo cinctus. PHILIP. D. G. LANDG. HASSIE. C. K. D. 2. N. A. 1552. FIER. FE. B. Quinque decussatim positi clypei, cum armis Ducatus Hassiae, et Comitatuum, Katimeliboci, Ziegenhainae, Niddae, et Dizae. Inter eos diuisae leguntur litterae: SE. D. S. P. In circuitu: BESS. LAND. V. LVD. V. LORN. ALS. EN. FALSCH. AID. GESCHWORN.

De hoc thalero vehementer disputatum est. Alii enim dicunt, Philippum Carolo V. exprobrare voluisse, se longius ab eo in carcere, quam par esset, detentum fuisse: ideoque litteras in aduersa interpretantur: *Captiuitate* R*edemtus* D*ie* 3. N*ov.* A.*nno* 1552. aut sic: C*assellos* vel C*azenelnbogium* R*ediit* D*ie* 3. N*ouembr.* et in auersa: SE*ductus* D*olo* S*e* P*rodiderat.* Alii arbitrantur, ante liberationem admodum duras conditiones

K 4 Philippo

Philippo propositas fuisse: quare illum regno carere, quam eas accipere, maluisse. Sed Koelerus vtramque opinionem refutat, dicitque non solum Carolo iniuriam facere, qui eum vnius litterae mutatione Philippum decepisse dicant, sed etiam Philippum promisisse, sese non vlturum esse perlati carceris aegrimoniam. Praeterea manifesta est mutatio litterae 2 in 3 et K. in R. Rinckius etiam copiose narrat, quomodo haec fraus orta sit, artificem fraudulentum eludente quodam, qui, quae in aliis numis Philippi legitur, *Parcere subiectis et debellare superbos*, sententiam, transpositis litteris, in animo habuit. Quae si quis legerit, non dubitabit, quin numus hic nunquam cusus, sed a fraudulento artifice effictus sit (y).

Non omittemus duo numos in Paulum Iouium et Petrum Aretinum cusos.

A. fa-

(y) vid. *Hamburgische Remarq.* P. IV. p. F. Guil. Ernest. Tenzel in libello: *Der in Teutschland bisher eifrigst, doch vergebens gesuchte Thaler Landgraf Philipsens von Hessen etc.* Gothae. 1699. Rinck *de vet. numismat. potentia.* p. 193. Kundmanni *Nummos Singul.* p. 36. Koehler. I. 6. P. I. p. 433. P. III. p. 41. XV. p. 75. XVI. p. 113.

A. Facies Satyri scurrilis. B. caput loco capillorum membris genitalibus obsitum (z).

Credi, hunc numum ab aduersariis Iouii in eum cusum esse, vir doctus notat, quo scurrilis, vt addit, saepe, malignaeque nugacitatis eum et ignorantiae notarent.

A. Effigies Aretini, cum magna barba et torque. D. PETRVS. ARETIN. FLAGEL. PRINCIPVM. B. eadem turpis figura, quae in Iouii numo. TOTVS IN TOTO ET TOTVS IN QVALIBET ARTE (a).

Sunt duo eiusmodi numi, parum a se diuersi: de quibus idem vir doctus: — "opprobrium Aretini continent manifestum, vt „ vtriusque auersae partis idem pudendum „ schema et inscriptio demonstrant. Huius- „ modi autem in Aretinum dehonestamenti „ Iouium plerique ferunt auctorem, iniuriam „ vlturum, quam illum eidem pari modo „ intulisse crediderant." Nempe sunt, qui illius in Iouium numi auctorem Aretinum putant. Hic, ni fallor, a. 1557. ille 1552.

 mortuus

(z) in *Museo Mazzuchell*. T. LXII. n. 3. p. 289.
(a) Ibid. T. LXIII. n. 5. 8. p. 293.

mortuus est: quod noto, vt circiter intelligatur, ad quae tempora hi numi referendi.

Gallia quoque sub ea tempora Imperatorem Carolum V. numo perstrinxit.

Nam cum ille a. 1552. captas proditione Metas ab Henrico II. summa ope Gallis iterum eripere studeret, Gallicus miles eam ita defendit, vt incepta oppugnatione desistere cogeretur. Haec res quos numos produxerit, verbis Gabr. Danielis narrare iuuat (*b*). *Il se fit aussi à cette occasion des médailles satyriques contre Charles V. dont la plus ingenieuse fut celle, ou l'on employa sa devise. On sçait, que c'etoit les Colomnes d'Hercule, avec ce mot Latin* vltra, *plus outré. Par où il faisoit entendre, qu'il avoit, en passant en Afrique, poussé ses conquétes plus loin que les Colomnes d'Hercule, qui, selon la Fable, avoient eté elevées à Cadix, comme à l'extremité du monde. On ajouta au corps de la devise un aigle enchainé & attaché aux Colomnes d'Hercule, avec ces mots Latins:* non vltra metas. *L'equivoque de ce mot* Metas, *qui signifie* Metz *& en même tems les deux Colomnes, qui étoient les bornes des Conquètes d'Hercule, étoit fort piquante,*

(*b*) *Histoire de la France*, T. V. p. 496.

quante, en marquant, que l'Empereur n'avoit pu passer au-dela de Metz. Haec Daniel. Numum ipsum nunquam vidi.

Non exiguum numerum eiusmodi numorum protulit bellum inter foederatos Belgas et Hispanos, turbaeque in illis regionibus maximae ortae, inde ab a. 1566. vsque ad a. 1609. Statim enim eo anno numus prodiit, qui non poterat non Hispanis inuisus esse, contumeliosusque videri.

Cum enim Philippus II. iura Belgarum minueret, praeter pontificiam, nullam religionem tolerare vellet, et tribunal libertati aduersarium conderet: quadringenti nobiles Bruxellis conueniunt, et duce Henrico Brederodio a. 1566. d. V. April. Ducissam Parmensem, Margaretham, quae pro regimine erat, adeunt, illique litteras tradunt. Eos cum accedentes videret Margaretha, et aliquem timorem prae se ferret, Comes de Barlamont dicit: *Madame, ce ne sont qu'un tas de gueux.* Hic contumeliosus sermo iis occasionem dedit numi cudendi, quem e collo suspendebant.

A. Philippi II. imago. EN TOVT FIDELES AV ROY. B. Duae manus, per

per duo lora, quibus binae mendicorum crumenae iunguntur, missae et se complectentes. IVSQVES A PORTER LA BESACE (*c*).

Sunt aurei et argentei. in quibusdam sunt duo homines, quorum alter manticam, alter hunc numum in pectore gestat, et digitos quasi ad iurandum tollit. E reliquis multis, qui infra illud, quod definiuimus, temporis spatium cusi sunt, numis tantummodo praecipuos afferemus.

A. Imago Margarethae. MARGARETA DE. AVSTRIA. D. P. ET P. GER MANIAE. INFERIORIS. B. Leo catenatus, sub praelo, quod dux Albanus, Margaretha, et Cardinalis Granvella, multos inter spectatores, comprimunt: in terra iacent chartae, iura Belgica continentes. QVID PREMITIS REDEAT SI NOBILIS IRA LEONIS. 1566. (*d*)

Numus

(*c*) v. Luckium p. 221. Bizot *Histoire Metallique de la republiqu. de Hollande.* p. 1. van Loon *Histoire metall. des Pays-Bas.* T. I. p. 84. et 145. Koehler, P. VIII. p. 105.
(*d*) Loon P. I. p. 74.

Numus recentior eſſe dicitur, ſed reſpicit ad crudelitatem Albani, non hominis, ſed monſtri humana forma induti. Hic iudicium conſtituit, quod iure tribunal ſanguinolentum vocatur a ſcriptoribus. Huic praeerat Io. Vargas, ſimillimus Albano. Eo tempore hic numus prodiit:

A. Deſtructio imaginum, et ſupplicia varia hominum in patibulis et rogis. B. HAERETICI FRAXERVNT TEMPLA CATHOLICI NIHIL FECERVNT CONTRA ERGO OMNES DEBENT PATIBVLARI. Ao. 1568. (*e*) nempe hac Latinitate ſaeuiſſimus Vargas vſus erat, cum Pontificium aliquem damnaret.

Albano vero in regimine ſucceſſit a. 1573. Ludouicus Requeſenſius: qui, quam Albanus ſtatuam aeream ſibi in arce Antuerpienſi collocauerat, euertit et conflari iuſſit. Hinc duo numi.

A. Foemina ſedens, magno pileo tecta, gladium nudum in dextra tenens: cincta crate, facta ex palis, ſalicibus circumdatis. Subtus leo Belgicus. LI-BERTAS

(*e*) Ibid. p. 107.

BERTAS PATRIAE. 1573. B. Pastor baculo abigens lupum, lac exsugere ouibus cupientem. DIFFVGITE CAPRIMVLGI. (*f*).

A. Statua ducis. POSITA A°. 1571. 19^A. MAY. supra tormentum bellicum, et paruulus fornax. (nam e tormento facta erat, et conflata ex illa sunt rursus tormenta) in latere dextro decidens Icarus ob vicinum Solem. OMNIS QVI SE EXALTAT HVMILIABITVR. MAT. 23. LV. 14. ET 18. In margine litteris etiam maiusculis: *Icarus vt lymphis furit haec libamine moles Fornaci horribilem post canit ore sonum, Ille quod audaci coepit gaudere volatu. Hic populi fuso sanguine laetus erat.* B. diabolus a Deo angelis cincto deiicitur coelo. LVCIFER SIC OCCIDIT ANTRIS SVPERBVS NIMIVM. In margine: ITA VT LVCIFER EX SVMMO COELI HABITACVLO SPONTANEA ELATIONE EIECTVS EST SIC ALBANVS IN CASTRO ANT. DIE 9^A. MENSIS

IVNY

(*f*) Loon. P. I. p. 172.

2 IVNY 1574. IN TERRAM PROLAPS EST (g).

Interea regina Angliae, foedere facto cum Belgis, iis auxilium mittit a. 1586. Robertum Dudleium, comitem Leicestriae, qui Belgicas res gubernaret: sed cum hic parum gratiae colligeret gubernatione sua, munere exutus Angliam redit. Philippus classem, quae inuincibilis audiebat, contra Elisabetham emittit, quae tempestate dissipabatur, Belgis simul impedientibus, quo minus dux Parmensis se cum classe inuincibili coniungeret. Huc spectant sequentes numi.

A. Regina in solio. ad dextram stat homo illius opem implorans. ad sinistram quinque pueri nudi insignia prouinciarum foederatarum genubus flexis afferunt. Sub pedibus reginae draco multorum capitum. DEO OPT. MAX. LAVS ET HONOR IN OMNE AEVVM QVOD. B. in nubibus nomen Hebraicum Iehoua: radii lucis emissi: decidentes, Episcopi, sacrificuli, monachi, cum calicibus, vasis sacris, aliisque instrumentis. QVEM DEVS CONFI-

(g) Leon T. I. p. 177.

CONFICIET SPIRITV ORIS SVI (*b*).

A. Imago comitis barbati et pileo cum crista ornati. ROBE. CO. LEIC. ET. IN. BELG. GVBER. ℞. Grex ouium: quinque agni ante reliquum gregem stant: quos respicit canis discedens. Supra: INVITVS DESERO. In margine: NON GREGEM SED INGRATOS (*i*).

Hunc numum aureum ipse Comes cudit, et inter amicos ante abitum diuisit. Exstat et aliud eius exemplum, in paucis aliam faciem praeferens. Sed ordines Belgici hanc rem aegre tulerunt, aliumque cuderunt numum.

A. Simia prae nimio amore foetus suos suffocans. LIBERTAS NON ITA CHARA VT SIMIAE CATVLI. ℞. homo, prope ignem, in quem incidere videtur, fumum euitans. FV- GIENS

(*b*) Bizot. p. 57. Loon P. I. p. 369. *Museum Pembrochian.* in Indice *nummor. Anglic. et Scot.* t. 38.

(*i*) Luckius dat p. 300. Loon P. I. p. 375. Evelyn *Discours.* p. 94. Koehler l. c. P. XVI. p. 385.

GIENS: FVMVM INCIDIT IN IGNEM.

A. Pontifex, Rex Hispaniae, Cardinales et Episcopi in concilio sedentes. Oculis ligatis et asininis auribus (*k*). O CAECAS HOMINVM MENTES O PECTORA CAECA. in extrema margine: DVRVM EST CONTRA STIMVLOS CALCITRARE. B. classis tempestate agitata. VENI VIDE VIVE. TV DEVS MAGNVS ET MAGNA FACIS TV SOLVS DEVS (*l*).

Huc etiam pertinent illi numi, quos Rinckius (*m*) ita describit: "Hic tres thaleros vnius argumenti proponam, qui rarissimi sunt, et ad paucorum notitiam peruenerunt. Quum a. 1588. Rex Angliae, vt apposite vocatur, Elisabetha, foemina supra sexum

(*k*) hoc negant Euelyn et Loon; putant esse fasciarum extremitates. quibus ita assentior, vt credam tamen, artificem studio hanc antiquitatem quaesiuisse.

(*l*) Loon P. I. p. 384. Bizot. p. 59. Luckius p. 314. Euelyn. p. 98. Muf. Pembroch. Ib. t. 38.

(*m*) de *Veter. numism. pot.* c. 21. p. 191.

„sexum fortis, sapiens istud mundi guber-„naculum, Philippum II. inaudita felicitate „praelio vinceret nauali, celebrauit hunc „triumphum numo, cuius anticae ipsius he-„roinae facies impressa, postica vero exhi-„bet vincentem Anglicam et victam Hispa-„nicam classem cum inscriptione: *Hesperi-„dum regem deuicit virgo.* Hispani nu-„mum imitati sunt eundem, et clanculum „multa exemplaria in Anglia vulgauerunt, „his verbis tantum inscriptioni additis: „*Hesperidum regem deuicit virgo: nega-„tur: Est meretrix vulgi.* Sed regina, ipsis „suppressis, eorum loco quosdam substituit „denuo mutata inscriptione:

„*Hesperidum regem deuicit virgo: nega-*
„*tur:*
„*Est meretrix vulgi: res eo deterior.*"

„Vt verum fatear, retorsio non vindicat regi-„nae iniuriam: quin imo illam magis auget".

Addemus tantum vnum numum, qui ad Belgicas turbas pertinet. Cum foederati Belgae feliciter, duce Mauritio, principis Wilhelmi Auriaci filio secundo, res suas contra Hispanorum impotentiam defende-rent, Archidux Ernestus, gubernator ab Hispanis constitutus, Rudolphi II. Imp. frater,

frater, circiter a. 1594. variis modis pacem obtulit, id quod post eius mortem successor, Archidux Albertus etiam et imperator ipse faciebant. Quam parum vero fidei illorum verbis Belgae habuerint, hic numus testatur.

A. Argum Mercurius fistula canens sopit. FISTVLA DVLCE CANENS NOSTRVM NON DECIPIT ARGVM. Infra: NEC TEMERE CREDENDVM. B. charta cum tribus sigillis et verbo PRIVILEGI arbori affixa, quam clerici quidam et laici detrahere conantur. ADVERSVS INNIXVM VLTRO SESE ERIGIT PONDVS. Subtus: FRVSTRA CONATVR (*n*).

Praeterea ad hoc seculum duo numi maxime memorabiles pertinent. Duci Brunsuicensi, Henrico Iulio, nobiles de Saldern, Burchardus, Conradus et Hildebrandus, molestiam attulerant, quod in conuentu Saltzdahlensi variarum discordiarum semina spargere tentauerant, hominemque quemdam, qui titulo notarii satis se munitum putauerat, et ob idem seditionis crimen in carcerem coniectus erat, vi eripuerant. Nomine etiam

(*n*) Loon P. I. p. 421.

omnium nobilium, quorum tamen plurimi non nomen addiderant, litteras principi tradendas curant, in quibus multa illi crimina obiiciunt. Vocabantur igitur in iudicium, cumque non comparerent, damnabantur, eorumque villae, praedia, aedes occupabantur. Cusus vero fuit eodem tempore numus, quem illi aegerrime tulisse videntur.

A. Siluanus dextra facem ardentem, sinistra tenens sagittam cum cuspidibus duabus recuruis, quos canis rodit, caudam eleuans: ibidem rosa surgit. Inter brachia est annus 1595. prope rosam: N. M. T. *(Noli me tangere)* prope sagittam D. C. S. C. *(Durum contra stimulum calcitrare)* in margine: HENRI. IVLI. D. G. POST. EPISC. HAL. D. BRVN. E. LVN. P. P. C. *(Pro patria consumor)*. B. filii Korah, Dathan et Abiram a terra suffocati. Supra gloria Dei. in mediis radiis: N. R. M. A. D. I. E. S. *(Non recedet malum a domo ingrati et seditiosi)*. Infra: NVM. XVI. In circulo XI. clypei cum armis Brunsuicensibus (*o*).

Quantum

(*o*) v. *Hamburgische Histor. Remarquen.* P. V. p. 153. Kundmann. p. 91. Koehler, P. XVI. p. 161.

Quantum se Salderi hoc nummo laesos esse existimauerint, et quomodo illum interpretati sint, ipsis eorum verbis narrare iuuat, quibus ducem apud iudicium imperiale accusauerunt (*p*).

"Ferners ist wahr, auch in- und ausser- " halb Reichs teutscher Nation notorisch, dasz " der beklagte Fürst im Jahr 95 etzlich viel " tausend Thaler unter deren Fürstlichen Na- " men und Wapen schlagen und publici- " ren, derselben etzliche nicht allein allent- " halben ausgeben und ausgewechselt, son- " dern auch zu Franckfurt auf der Mesz, auch " hin und wieder spargieren und verthei- " len, ihre Advocaten und Procuratoren auch " zu Speyer damit besolden lassen?"

Wahr, dasz solches zu dem Ende geschehen, " damit Sie in- und ausserhalb Reichs " desto basz bekannt werden möchten?"

Wahr, dasz auf einer Seiten solcher Tha- " ler, die historia Numerorum XVI. von Co- " rach "

(*p*) vid. *Extract ex libello articulato deren von Salder in Act. Citat. commiss. proprietatis Feudorum.* p. 295. vid. *Symphorema III. Miscellan. ad studium Iurispr. vtilium.* in *Symphor. Consultat. et Decis. Forens. ed. a* Georg. Melch. de Ludolf. T. I.

„rach, Dathan und Abiran, und daneben „Buchstaben N. R. M. A. D. I. E. S. hoc est; „Non Recedet Malum A Domo Ingrati Et Se- „ditiosi, gesetzt seyn?

„Wahr, dasz solche Historia auf den Actum „zu Saltzdahlem auf dem Landtage verübt, „und auf Anwalds Principalen, als sub per- „sonis Corach, Dathan und Abiran, aber, „Gott Lob, unverschuldet, bedeutet, verstan- „den wird?

„Wahr, und ist solchs erstlichen dahero „abzunehmen, dasz Seine Fürstlichen Gnaden „gleich bey der vermeynten Inquisition bey „Burcharden von Cram gehalten, berührte „Historiam dahin ausdrücklich gedeutet hat?

„Wahr, und wird selbiges fürs ander auch „dahero bestärcket, dasz Seiner Fürstliche „Gnaden gleichfalls in ihrem Schmäh-Pro- „duct den 5ten Novembris verschienen 96ten „Jahrs eingeben, productio originalium etc. „intituliret, obangeregten Spruch, Non re- „cedet malum a domo ingrati etc. auf kla- „gender von Salder Person gedeutet hat?

„Wahr, und ist zum dritten dahero abzu- „nehmen, dasz Seine Fürstliche Gnaden auf

„der

*der ander Seiten der Thaler unter dem wil-„
den Mann, welcher auf die Braunfchweigi-„
fche Thaler pflegt gefetzt zu werden, einen „
Hund mahlen laffen?„*

*Wahr, dafz aus dem Hunds coeno (falua „
reuerentia) ein Rofen-Bufch, worauf eine „
Rofe ftehet, gewachfen zu feyn gefetzt ift?„*

*Wahr, dafz die Rofe deren von Salder „
Wapen ift?„*

*Wahr, dafz der Hund, aus deffen coeno „
die Rofe als dafz Salderifche Wapen ge-„
wachfen zu feyn gantz fchmälich und un-„
flähtiger Weife angeben wird, in des wilden „
Manns Preckel zu beiffen fich unterfte-„
hen, wobey aber die Buchftaben D. C. S. C. „
hoc eft: Durum contra ftimulum calcitra-„
re, gepräget feyn?„*

*Dahero, und weil wahr, dafz fich der Herr „
Gegentheil, defz Inhalts folches Spruchs in „
Actis (dahin man fich referirt) offtmahlig „
gebraucht?„*

*So ift auch unftreitig wahr, dafz die von „
Salder, fo wohl mit der Hiftorien Numero-„
rum unter denenjenigen, fo die Erde ihres „
Wiederfetzens halber verfchlungen, fo dann „*

 mit „

„ *mit mehrbesagten hochanzügigen Sprüchen,*
„ *als mit dem unflathigen Schmah gemäldt*
„ *angedeutet seyn?*

„ *Insonderheit weil auch zum vierten wahr,*
„ *dasz klagender von Salder ältister Bru-*
„ *der, Burchard von Salder seeliger, wel-*
„ *cher den 27ten Januarii Anno 95 mit todt*
„ *abgangen, als ein Todter auf den Rucken*
„ *liegend, unter denjenigen, welche die Erde*
„ *verschlungen zu haben auf angeregten Thä-*
„ *lern gantz schimpflich und Ehren- verletz-*
„ *lich gepragt gesetzt seyn, dergestalt demon-*
„ *strirt wird, dasz man eigentlich spüret und*
„ *siehet, dasz Er Burchard von Salder see-*
„ *liger damit gemeynt ist?*

„ *Zumahl wahr, dasz Er nicht allein als*
„ *ein Todter, sondern auch mit seinem dicken*
„ *lincken Bein, so Ihme im Todt-Bett irgends*
„ *acht Tage vor seinem seeligen Abschied vom*
„ *lieben Gott zugeschickt, ist gemahlet worden?*

„ *Wahr, dass der beklagte Fürst hernacher*
„ *im selbigen Jahr noch andere Thaler in*
„ *überaus grosser Menge schlagen, publici-*
„ *ren, ausgeben, distrahiren und austheilen*
„ *lassen?*

„ *Wahr, dasz auf denselben ebenmässig*
„ *schmah- und unflathige Gemählde in contu-*

„ *meliam*

meliam Dero von Saldern und andern ehr- „
lichen vom Adel gepragt ſeynd? „

Wahr, daſz auf einer Seiten derſelben ein „
Löwe, als Fürſtlich Braunſchweigiſche Wa- „
pen, der einen Steinbock, welches ein Stein- „
bergiſch Wapen iſt, zwiſchen den Klauen „
gefaſſet, aus welches Steinbock, gleich wie „
aus deſz Hundscoeno, davon zuvor ein Stock „
mit ſeinen Aeſten, welches deſz Stockheimi- „
ſche Wapen iſt, und aus demſelben eine Ro- „
ſe, als daſz Salderiſche Wapen erwachſen zu „
ſeyn, und ſelbige Roſe dem Löwen (ſalua „
reuerentia) circa poſteriora gantz unflathi- „
thiger und unverſchämter Weiſz geſetzt iſt? „

Wahr, daſz über den Löwen ein En- „
gel, der dem Löwen in ſignum victoriae ein „
Krantzlein beneben dieſen Worten: Tan- „
dem bona cauſa triumphat, darbietbet, und „
daneben auch dieſer Spruch: Hüte dich für „
der That, der Lügen wird wohl Rath, ge- „
ſetzt iſt? „

Wahr, daſz dieſz alles in contumeliam „
Klagender von Saldern, und der andern „
Beſchwerden von Adel, und ſonderlich, daſz „
man Sie nicht allein in- ſondern auch auſſer- „
halb Reichs zu immerwährender Schmach „
exponiren wollen, gemeynt iſt? „

 Und „

„*Und ist sonderlich wahr, und im gantzen „Reich comunis et publica fama, ja allerdings notorium, dasz die von Saldern, und „ihre Verwandten mit diesen beyden Schlags-„Thalern gemeynt, und dasz Sie in illorum „contumeliam geschlagen seyn?*

„*Wie dann auch wahr, dasz die Fürstlichen Diener, Räthe und Beambte, und unter „denselben Paulus Anethanus und Joachim „Theszmar, Fürstlicher Braunschweigischer „Sollicitator zu Speyer und anderer Orter die „Interpretation obberührter Massen zu vielmahlen und sonderlich in D. Pfeffers Hoch-„zeit, gemacht haben?*

„*Wahr und folgt ob diesem allen unwiedersprechlich, dasz der beklagte Fürst durch „articulirte Laster und Schmähungen, Gedichte, Gemählde, Münzschlag, Zu- und „Aufflagen, Einziehung, Verderb- und Ver-„wüstung ihrer Güter, heimlichen Nachstellung nach ihrem Leib und Leben; die Treuen „und Glauben, welchen ein Lehen-Herr seinem Vasallo zu bezeigen vermöge der Lehen-„Rechte schuldig, gebrochen, und also eine „offenbare Feloniam begangen habe"?*

Non

Non potuimus non omnia verba accusationis huc transferre, cum quoniam memorabilis huius numi interpretationem continent, tum quia ad argumentum nostri libelli inprimis haec res pertinet.

Alterum, qui hoc seculo cusus, sumemus a Koehlero (*q*):

A. Dux et vxor illius, sese osculantes et complectentes. WIE KVSSEN SICH DIE ZWEV SO FEIN.
B. Mulier monastica veste induta, querula, cum libro et rosario, vt appellant, WER KVST MICH ARMES NVNNELEIN.

Duxerat Io. Casimirus, dux Coburgensis, Electoris Saxoniae, Augusti, filiam natu minimam a. 1586. in matrimonium. Haec a Parmensi quodam Hier. Scoto, centum homine artium, quales homines dux amasse dicitur, corrupta, et post illius discessum amore nobilis cuiusdam Vlrici de Lichtenstein capta fuit. Sed Venus amori huic non fauisse videtur. Nam maritus, rem ad certos, de ea constitutos, iudices a. 1593. defert, vbi illa crimen fatebatur, ad aeternum carcerem

(*q*) l. c. P. XVI. p. 25.

carcerem damnata, in quo a. 1613. mortua est. Nec videntur illis temporibus mariti tacere, mulieresque negare didicisse, quae ab illis visa, ab his commissa. Habitu monastico ideo forte picta est, quia in monasterio Sonnenfeld captiua tenebatur. Posset pro ea inter alia etiam hoc dici, Casimirum neque ex illa, neque ex altera coniuge, ducis Guilielmi Brunsuicensis filia, liberos procreasse.

Ingrediamur nouum seculum, quo Satyricorum numorum maximus editus fuit numerus, quorum si indicem dare vellemus, illud solum seculum totum librum postularet. Faciamus igitur, quod superiore capite fecimus, praecipuosque tantum adferamus.

A. Duae columbae, bibliis apertis insistentes, seque osculantes. ab vtraque parte s. C: RELIGIO AMOREM. B. agnus a lupo cum pileo, qualem Loiolitae gestant, morsus. NON CARDES FOVET. CIↃIↃCX. (r)

Numus cusus est in Belgio in caedem Regis Galliae, Henrici IV. a Ravailliacio perpetratam. quo quid indicare voluerint, nulla interpretatione opus est.

In

(r) Loon P. II. p. 67. dat et Iunckerus l. c. p. 366. sed non recte intellexit.

In eo bello, quod post duodecim annorum ceen a. 1621. inter Hispanos et Belgas iterum ortum est, in quo Fridericus Henricus, Mauritii Auriaci frater, d. 14. Sept. a. 1629. Silvam Ducis expugnauit, memoriam rei conseruat numus.

A. Leo Belgicus silua expellens gladio obscoena animalia, bubones, striges, porcos, asinos, serpentes, alia monstra. HINC INIMICA MIHI SILVA EST MEA CEDITE MONSTRA. B. SILVA DVCIS A MAX. ORBIS TERRAR. DVCIBVS OLIM OBSESSA NEC CAPTA A. FR. HENRIC. PRINC. ARAVS. EXERC. FOED. BELG. PRO. IMP. PRID. CAL. MAI. OBSESSA MVNIMENTIS IPSI VRBI PARIBVS IN ADITV QVI VNIC. OBIECTIS SVB OCVLIS AVXILII REPVLSI EXPVGNATIS HOSTE CVM SVO ET CAESARIS EXERCITV IN VELAVIAM TRANSGRESSO ET CVNCTA FRVSTRA MOVENTE, CAPTA EST XVII. SEPTEMB. MDCXXIX. (s)

Quan-

(s) Bizot p. 164.

Quanquam Oliuarii Cromwellii ſcelus deteſtari potius, quam irridere debemus, eſt tamen numus in illum Satyricus a. 1618. quo mortuus eſt, cuſus.

A. Cromwellii imago armata, cuius capiti duo milites, Romano more armati, laurum imponunt. OLIVAR CROMWEL PROTECTOR V. ENGEL. SCHOTL. YRLAN. 1658. B. Maſanielli imago, vili habitu induti, cuius caput duo ſimili habitu conſpicui homines coronant. MASANIELLO VISSCHR EN CONINCK V NAPELS. 1647. (*t*)

Contemtus cauſa comparatur Cromwellius cum Thoma Aniello, vili et inope piſcatore, qui, cum Dux d'Arcos, qui loco regis erat, Neapolitanos tributis et exactionibus cogendis valde premeret, populum ad ſeditionem excitauit. Ab hoc eligebatur dux, omnia adminiſtrabat, auctoritate pollebat maxima. Paullo poſt, ad inſaniam veneno, vt ſuſpicio eſt, dato redactus, crudeliusque ſua poteſtate vſus, ipſius populi voluntate interfectus eſt. Sed poſtero die ab inconſtanti

(*t*) v. Lochneri *Sammlung merckwürdiger Medaillen*. P. I. p. 281.

stanti plebe lugebatur, summaque pompa sepeliebatur. Karior reliquis est alius, quem a nemine alio, quam a Iunckero (*u*), datum esse recordor.

A. caput viri cum mitra: si numum verteris: caput diaboli cornutum. CROMWELL. B. caput cum pileo: si verteris, facies morionis. FAIRFAX.

Iam supra recensuimus eiusmodi numos, in pontificiorum irrisionem cusos. Hic eiusdem est inuentionis.

Ad Cromwellii historiam pertinet etiam alius, contumeliosissimus ille et turpis, cum a. 1655. reges Franciae et Hispaniae certatim istius amicitiam expeterent, legatisque missis quisque eum ad foedus allicere tentaret; qua in re etiam Gallicus Hispanicum superauit.

A. Imago Cromwellii laureata. OLIVAR. D. G. RP ANGL SCO HIBERNIAEQ PROTECTOR. B. legati, Francicus et Hispanicus, qui, vter prius accedat, certare videntur: in sinu foeminae sedentis condit caput homo, nudas corporis

(*u*) *im Guldn. und Silbern. Ehrengedächtn. Lutheri p.* 334.

poris posteriores partes ostendens. RETIRE TOY L'HONNEVR APPARTIENT AV ROY MON MAISTRE LOVIS LE GRAND. (x)

Facetius nummo quodam irrisit Regina Sueciae, Christina, eruditos quosdam viros.

A Caput reginae, laureata Mineruae galea tectum. CHRISTINA REGINA. Infra nomen sculptoris: TRAVANVS.

B. Phoenix, alis expansis et capite ad solis splendorem erecto, rogo ardenti insistens. ΜΑΚΕΛΩΣ. 1665. (y)

Verbum hoc Graecis litteris scriptum est Sueticum, et significat: excellenter. Hoc verbo torsit regina ingenia eruditorum, quos in aula habebat, qui omnibus Glossariis, Lexicis et indicibus euolutis et perlustratis, frustra verbi, quod Graecum putabant, significatum quaerebant. Tandem iis, varias interpretationes commentis, Regina rem multo cum risu explicuit.

Sed nulli nummi sunt toto hoc seculo magis memorabiles iis, qui post pacem Aquisgranensem

(x) vid. Loon. P. III. p. 395.

(y) *Brenneri Thes. Suec. inter num. Christinae* t. IV. Koehler l. c. P. V. p. 145. adde P. VIII. p. 426. P. X. p. 431

granenſem cuſi ſunt. Quis enim credat, numos Satyricos in cauſis belli numeratos fuiſſe? Neque tamen falſa a me narrari, idoneis teſtimoniis docebo. Quia igitur haec res inprimis ad argumentum libri noſtri pertinet, de ea accurate exponemus.

Cum poſt mortem Philippi IV. Ludouicus XIV. *iuris deuolutionis*, vt appellabat, ſpecie vſus, Belgii Hiſpanici prouinciis inhiaret, ſummaque celeritate complures vrbes caperet: Belgae, Angli et Sueci, foedere facto, regem ad pacem Aquisgranenſem ineundam a. 1668. adducunt. Hac pace facta, non vlterius progredi poterat Gallus, ſed iis, quas ceperat, vrbibus contentus eſſe debebat. Eo tempore a Belgis hic numus cuſus eſt.

A. Libertas Belgica ſub forma Foeminae, dextra haſtam, cui impoſitus pileus, tenens, ſiniſtra nitens clypeo cum leone, iuxta cornu copiae: ſtat prope trophaeum, cui liber apertus affixus: ad pedes iacent arma varia: procul in mari conſpiciuntur naues. B. Corona, cui intexti ſeptem foederatarum prouinciarum clypei cum totidem faſciculis ſagittarum, ambit hanc inſcriptio-

 nem.

nem. ASSERTIS. LEGIBVS. EMENDATIS. SACRIS. ADIVTIS. DEFENSIS. CONCILIATIS. REGIBVS. VINDICATA. MARIVM. LIBERTATE. PACE. EGREGIA. VIRTVTE. ARMORVM. PARTA. STABILITA. ORBIS. EVROPAEI. QVIETE. NVMISMA. HOC. S. F. B. C. F. (*Status foederati Belgii cudi fecerunt*) cIɔIɔCLXVIII. (z).

Hunc numum Gallia aegerrime tulit, atque Praeses Lamoignon Petro Grotio, legato, dixit: Romanos post Numantiae et Carthaginis expugnationem non potuisse superbius loqui. Basnagii de hac re verba nullo modo praetereunda sunt: *Cette Medaille & celles de* MITIS ET FORTIS *& de* LEO BATAVVS *ont passé pour superbes & pour injurieuses aux Têtes couronnées: l'on a même crû, qu'elles ont été causé en partie de la Guerre, qui embrasera la Hollande dans peu d'années.* Numi, quorum Basnagius mentionem facit, sunt hi.

A. Pal-

(z) v. Bizot p. 270. Loon. P. III. p. 22. Basnage *Annales des Provinces Unies.* P. II. p. 29. p. 195. p. 272. Koehler P. IX. p. 377.

A. Pallas pede premit iacentem in terra discordiam, tenentem dextra serpentem: sceptrum gerit dextra, cui inest supra oculus, sinistra hastam, cui septem sagittae additae: iacet agnus ad pedes et in mari naues incensae: ad sinistrum pedem leo et procul naues aequore procedentes tranquillo. Supra: MITIS ET FORTIS. Infra: PROCVL HINC MALA BESTIA REGNIS. Iun. 22. 1667. B. Concordia tenens dextra gladium in vagina cum serto in cuspide: sinistra caduceum, et cornu copiae: instat armis: manus coelo emissa tenet scuta cum armis Angliae et Belgii: in scheda volitante: IRATO BELLVM PLACATO NVMINE PAX EST. In imo: REDIIT CONCORDIA MATER. Iul. 31. BREDAE. AO. 1664. In limbo exteriore: NVMISMA POSTERITATI SACRVM BELGA BRITANNOQVE CONCILIATIS.

A. Leo incumbens tormento et armis. LEO BATAVVS. procul naues. SIC FINES NOSTROS LEGES TVTAMVR ET VNDAS. B. arma urbis M. a. Amstelae-

Amstelaedami. DEO AVSPICE ASSERTIS NON MINORE ANIMO QVAM SVCCESSV AVITIS PATRIAE LEGIBVS ADVERSVS TRES POTENTISSIMOS HISPANIARVM REGES COACTIS DEINDE SEMEL ITERVMQ CONTRA VICINOS BRITANNOS ARMA SVMERE BATAVIS POST PACEM EGREGIA VIRTVTE BELLO PARTAM ATQVE REDVCTA GENERIS HVMANI COMMERCIA CONSVLES SENATVSQVE AMSTELODAMENSIS MONVMENTVM HOC cIↄIↄCLXVII. F. C. (*a*)

Hi sunt illi numi, quos complurium animos exacerbasse Basnagius scribit. Multi etiam multa eo tempore dixerunt, disputaueruntque de numo, quem rumor erat in Belgio percussum esse in opprobrium Ludouici cum inscriptione: STA SOL aut: STARE FECIT SOLEM. Immo illius auctorem esse dicebant Belgarum legatum ad regem Galliae, Beuningen, et palam hoc ei obiiciebat Volpilierius (*b*). Sed et ipse Beuningius

(*a*) Bizot p. 264.
(*b*) *La Hollande aux pieds du Roi* p. 18.60.

ningius, vir prudens et sapiens, hanc opinionem a se remouit (*c*), et Loonius (*d*) atque Fauoritus Noricus, quem putant fuisse Petrum Burmannum I. (*e*) verbose ostendunt, hunc numum non nisi interuallo quodam ab a. 1668. prodiisse, atque vt ex eius forma et fabrica appareat, in Germania cusum esse. Numus est hic:

A. Sol exoriens, et hemisphaerium, in quo Belgium, Francia, Hispania, et Britannia, illustrans. ECQVIS CVRSVM INFLECTET: B. Sol in coelo, inter equites aliquot Iosua pugnans ad vrbem Gideon. STETIT SOL IN MEDIO COELI. In imo: LIB. IOSVAE. C. X.

Haec est descriptio formosissimi illius numi, quem non aegre ferre debebant Galli, si cogitare voluissent, ipsius regis sui iussu numos cusos fuisse, plenos superbiae, contumeliarumque in omnes populos, eosdemque numos in vnum librum collectos fuisse.

 Interim

(*c*) in epistola, quae est apud Basnagium. l. c. p. 361.

(*d*) P. III. p. 17.

(*e*) in *Obseruat. ad Nic. Hier. Gundlingii Discursus de Rep. Hollandica.* p. 79. sequ.

Interim forte hic occasionem dedit plurium sequentibus annis cudendorum, qui idem acumen, si quid est in hoc numo acuti, praeferunt.

A. Rusticus Hollandicus monstrans digito caseum, cui inscriptum: FROMMAGE D'HOLLANDE, et adspiciens solem, quo in medio lilium apparet. STA SOL. In exergo: XII. SEP. 1673. B. eques Gallicus fugiens. IL. NE. SCAIT. OU. ALLER. XIII. NOV. 1673. (*f*)

Numus cusus est, cum Brandenburgicus Elector, Imperator, aliique Belgis succurrerent, Gallosque cogerent, occupatas antea vrbes relinquere, et Rheno traiecto recedere.

A. Effigies regis humerotenus. GVILIELMVS III D G MAG BRIT FRAN ET HIB REX. B. historia Iosuae, cursum solis retardantis. VT ET IOSVA CVRSVM SOLIS RETINET. 1689. (*g*)

Quos numos ad imitationem illius factos esse apparet.

Ne vero multa de eo numo dicamus, copiosiusque inquiramus, vtrum Belgio, an Germa-

(*f*) Loon P. III. p. 121.
(*g*) Ibid. P. IV. p. 7.

Germaniae debeatur, (possunt enim in vtramque partem nonnulla dici) hoc certum est, regem Angliae Carolum II. in libello, in quo de caussis illati a. 1672. Belgis belli exponit, clare de numis contumeliosis queri. Cuius verba ipsa repetamus (*b*):

Mais il ne faut pas s'etonner, qu'ils extravagvent si fort contre nos sujets dans des lieux éloignés, puis qu'ils en agissent si inconsiderement en leur propre Pais a l'egard de nôtre Personne Royale & de l'honneur de cette Nation, qui est si proche d'eux, n'y ayant presque point de Ville dans toute l'etendüe de leur Jurisdiction, qui ne soit remplie de Peintures offençantes, DE MEDAILLES, *ou de Monumens faux, dont il y en a même, qui ont été mis au jour ou exposés publiquement en montre par ordre de l'Etat, dans le moment, que nous consultions avec eux pour former la Triple Alliance & affermir la paix de la Chretienté. Cela seul etoit digne de nôtre mécontentement & du ressentiment de tous nos sujets. Mais nous y avons eté poussé & contraints par*

M 4

(*b*) dans *le Corps universel Diplomatique du Droit des Gens.* T. VII. P. I. p. 163. Germanice exstat in *Londorpii Actis Publicis.* T. IX. p. 802.

par d'autres considerations, que celles, qui nous regardent nous-même etc.

Quantum numerum prima huius seculi pars protulit, tantum etiam altera editum esse videmus. E quibus commemorandus est inprimis ille, quo Episcopus Monasteriensis se tantopere laesum esse putabat. Quod vt rectius intelligatur, res est paullo altius repetenda. Christianus Iunior, Brunsuicensis, Henrici Iulii filius, in bello tricennali Friderici Palatini partes sequebatur, atque a. 1622. Paderbornam cepit. Ibi argenteas sanctorum statuas conflari, thalerosque cudi curauit.

A. In duplici circulo legitur: GOTTES FREVNDT DER PFAFFEN FEINDT. in margine: CHRISTIAN. HERTZ. ZV. BRAVNSCHW. V. LVNENB. B. Brachium armatum nube exertum, cum gladio. TOVT AVEC DIEV (*i*).

De hoc numo tria notanda sunt. Primum sunt etiam, in quibus gladio impositus pileus sacerdotalis, sed illi videntur suppostitii. Porro

(*i*) v. Loon P. III. p. 145. *Hamburg. Remarqu.* P. IV. p. 97. Kundmanni *Nummos Sing.* p. 35. Koehler. P. XIX. p. 113.

Porro hos thaleros cusos esse vulgo aiunt ex Liborii loculo, quod quidam negant, loculumque cupreum fuisse dicunt. Denique cum in praelio in sinistro brachio tam grauiter vulneratus esset, vt sibi illud inter tympanorum et tubarum sonitus abscindi pateretur, alium numum cudisse dicitur, cum inscriptione: VERLIEHR ICH GLEICH ARM VND BEIN WILL ICH DOCH DER PFAFFEN FEIND SEIN: itemque alium cum gladio et verbis: ALTERA RESTAT. quos tamen nunquam ipse vidi.

Iam turbis ortis a. 1670. inter ducem Brunsuicensem, Rudolphum Augustum, et Episcopum Monasteriensem et Capituli Corveiensis administratorem, Christophorum Bernhardum de Galen, querelae etiam grauissimae ob numos contumeliosos exortae sunt. Episcopus enim in sui opprobrium a duce numum Huxariae (Hoexter) cusum esse querebatur, cui inscriptum esset: GOTTES FREVNDT DER PFAFFEN FEINDT! negabat vero dux, numum a Christiano olim cusum, nunc a se repetitum esse, his verbis (*k*): " *Wozu noch jüngsthin dieses* „

M 5 *kom*- „

(*k*) *Gegenmanifest, und in Iure et facto gegründeter Bericht, dass Sr. Fürstl. Durchlaucht*

„*kommen, daſs man unter die Leute ausge-* „*ſprenget, ob in den Fürſtl. Braunſchweig-* „*Lüneburgiſchen Müntzſtätten Reichsthaler* „*mit dem Symbolo:* Gottes Freund der Pfaf- „fen Feind *de nouo geſchlagen worden, wel-* „*ches denn gleichfalls zu keinem andern En-* „*de inventirt, als nur dem Fürſtl. Hauſe* „*mehrern Unglimpff zuzuziehen, da doch* „*ſolches ſo wenig Herrn Hertzog Rudolph* „*Auguſten Fürſtl. Durchlaucht als den übri-* „*gen regierenden Herrn Hertzogen in Sinn* „*kommen, ſondern wie auf dergleichen al-* „*ten Stöcken wohl geſchiehet, ſo mag ſeyn,* „*daſs auf curieuſer Leute Begehren der in* „*A. 1622. und vor des ietzigen Herrn Her-* „*tzogen Geburt, bey damahligen offnen Krie-* „*ge, mit gedachter Inſcription gepraegte* „*Reichsthaler auf dem noch vorhandenen* „*Stock oder Stempel von dem Müntzmeiſter* „*ohne habenden Befehl und aus keinem boe-* „*ſen Vorſatz, auch ehe das Hoexeriſche Un-* „*weſen ſich erreget, nachzumüntzen ver-* „*ſtattet, welches aber, ſo bald offt höchſtge-* „*meldete*

laucht bey denen Motibus, ſo in Dero Erb-Schutzverwandten Stadt Höxer durch der Fürſtl. Corveyiſchen Regierung verübte Preſſuren entſtanden, ihre Guarniſon hinein zu legen höchſt befugt &c. extat in Londorpii *Actis Publicis* T. X. p. 752.

meldete Herren Herzoge davon das geringſte „ erfahren, ernſtlich verbotten, und der alte „ Stock weggeſchaffet worden.„ Hiſce reſpondit Epiſcopus ita, vt pro ſapientia ſua Deum ipſum vindicem iniuriae hoc nummo illatae nomini ſacrificulorum faceret (*l*). Verba ſunt haec: "*Es muſs wohl ein jeg- „ licher ſich verwundern, daſs man noch ih- „ rer Fürſtl. Gnaden vorrücken und gleichſam „ verweiſen woelle, als man Münſteriſcher „ Seiten unter die Leute ausgeſprengt, daſs „ neue Thaler mit der Uberſchrifft:* Gottes „ Freund und der Pfaffen Feind *etwa auf dem „ Hartz an den Braunſchweigiſchen Müntz- „ ſtaedten eigener Bekänntnüſs nach, gepraeg- „ get, und eben um dieſe Zeit gantz nach- „ dencklich und dem Anſehen nach zur Bra- „ bada vors Licht kommen, welches man den „ Interpoſitions-Geſandten, als eine verbitter- „ liche Sache billig vorgebracht und mit Vor- „ zeigung der alten de a. 1622. gepraegten „ Thalern und der Collation gegen die neuern „ remonſtrirt, daſs diſs kein alter, ſonder „ ein neuer Stock oder Stempel geweſen, wel- „ ches „*

(*l*) *In Iure et Facto wohlgegründete Ablehnung des Fürſtl. Braunſchweigiſch-Wolffenbütteliſchen Gegen-Manifeſts. Münſter bey Dietr. Raeſsfelden.* a. 1671. p. 85.

„ches auch Dieselbe, als des Müntzwesens „wohlverstaendige agnoscirt. Man haette „zwar diesen weit aussehenden Trutz an „seinem Ort gestellet seyn lassen, und hof-„fen müssen, gleichwie Gott den Hochmuth „dieser von weiland Hertzog Christian aus „des Heil. Liborii Ruhe-Küsten zu Pader-„born gemüntzte Thaler (wie dann selbiger „und zwar der rechte Stock und Stempel an-„noch daselbst vorhanden ist) kurtz hernach „mercklich gestraffet, und in A. 1623. die-„ses Hertzogen dem Geistlichen Stand ge-„schehene Bravada zum dritten mahle durch „eine blutige Niederlage bey Stattlohn im „Stifft Münster gestürtzet, und den dem Ca-„tholischen geistlichen Kirchen-Estat zum „Spott und Schrecken aus den Wolken ge-„streckten Arm ihme zu Florn in Treffen ab-„genommen, der gütige Gott auch vor diss-„mahlen würde gebütet haben, dass die „Bäume nicht, wie man sagt, in den Him-„mel aufwüchsen: so hat man doch bey wäh-„renden Friedens-Tractaten, ein solches bil-„lig ressentiren müssen, und kan desswegen „Ihrer Fürstl. Gnaden nichts imputiret wer-„den, sondern haben des Hertzogen Ru-„dolff Augusti Durchlaucht diese Müntzung „nicht nur curieusen, sondern leichtfertig

„und

und friedhaessigen Leuten gestattet? Ha-„ ben sie dieses an seinem Ort zu verantwor-„ ten. Haben es aber andere Boesewichter„ ohne ihr Vorwissen gethan? Haben dieselbe„ darauf zu inquiriren, und die Thaeter„ exemplariter zu bestraffen.„

Habemus tertium exemplum querelarum de numis contumeliosis. Cum eo vero, quod dicitur, non noua forma hos numos cusos esse, pugnare videtur Gerhardi, Abbatis Luccensis, testimonium (*m*). nam ille *sub noua forma nouos vnciales cusos* fuisse scribit, nouamque hanc formam ex Hercynia Hannoueram migrasse, ibique eam rubigine obductam nullius amplius vsus esse.

Dedit etiam eo tempore Septentrio numos quosdam, quos praeterire non possum. Ad praelium, prope Nyburg, quo Sueci Duce vsi Steinbockio, cuius omnes vndique corrasi thesauri in manus victorum veniebant, a Danis et Belgis vincebantur, spectat hic numus:

A. Elephas hominem dorso deiicit. Pedibus serpentem conculcat et rostro constrin-

(*m*) In *Celeberr. Viror. Epistol. de re numism. ad Zach. Goetzium.* p. 7.

constringit arietem, omnia reddentem, quae deuorauerat, in pileum, an patinam? suppositam. B. MAGNANIMIS PRETIO QVOS VIS VEL SVSCITAT ASTVS NVNC DEBELLATIS VNDIQVE TVTVS ERO. XII NOVEMB. MDCLIX. (*n*)

In Dania etiam cusi dicuntur duo alii numi, cum Fridericus Wilhelmus Suecos, qui suasu Gallorum Borussiam inuaserant, celerrimis itineribus factis, fugasset, eorumque plurimi fame, et frigore periissent.

A. Aquila in nido stans alta in rupe, elatis alis, erectoque collo circumspiciens, ad quam aperta fauce leo adsilit: sol oriens et campus plenus militum. QVEM DIES VIDIT VENIENS SVPERBVM. A. MDCLXXIX. B. Persequiens aquila fugientem leonem: sol occidens: exercitus fugiens, quem exertum nubibus brachium sceptro percutit. HVNC DIES VIDIT FVGIENS IACENTEM. PRVSSIA LIBERATA A. MDCLXXIX. in ora exteriore: IVSTVS ES DOMINE ET IVSTA SVNT IVDICIA TVA.

A. Mer-

(*n*) Loon P. III. p. 433.

A. Mercurius volitans per aërem cum marsupio et caduceo. B. WER SAGEN KAN WO MAN IETZT FIND DIE LIEFLAENDISCHE SOLDATEN DEM GEBEN WIRD MERCVRIVS DEN BEVTEL MIT DVCATEN. ab vtraque parte: IN PREVSSEN. 1679. (*o*)

Numum etiam Satyricum percussum esse in Petrum Schumacherum, Hafniae, a. 1637. natum, doctrinarum studiis et inprimis linguarum scientia famam, et fauorem Friderici III. consecutum, supremi Cancellarii munere, Comitis in Greiffenfeld titulo ornatum, tandem ad pristinam fortunae tenuitatem redactum, narrat Schurzfleischius (*p*) his verbis: "In Petri Schumacheri arculis repertus est numus, qui et nomen eius et regni insignia tenuit, quod eo factum suspicantur, vt haec tessera regi cum progenie pessundando esset. Verum, quia aliter res cecidit, quam destinauit Schumacherus, Rex alium numum curauit cudendum, cuius altera parte cernitur,"

(*o*) Loon P. III. p. 248. Tenzel *Monatliche Unterred.* 1695. m. May. p. 351. Koehler P. XIV. p. 225.

(*p*) in *Epist.* P. I. 341. et 321.

„ritur noctua, infausta auis, et proditionis „imago, cum chartis lusoriis, altera parte „admissus error designat perditam fortunam. „Ipse eum Berolino missum vidi et legi hac „forma". Koehlerus numum non tam regis iussu, quam a priuato quodam, inimico Schumacheri, cusum putat (*q*). Liebius vero narrat in Thesauro Gothano esse numum, cuius in antica parte caput et verba: PETRVS. COM. IN. GRIF. ET. TONS. in postica FORTVNAM REVERENTER HABE, conspiciatur.

Nunc Angliam accedamus, quae varios numos Satyricos dedit, certe illorum cudendorum occasionem dedit. Primo irridetur dux Monmuthensis, Iacobus, filius Caroli II. extra legitimum matrimonium procreatus. Hic, cum regnum ad fratrem Caroli, Iacobum, peruenisset, multa moliebatur, vt patri succederet. Sed, copiis caesis, ipse captus et capite punitus fuit.

A. Imago ducis humerotenus. B. rupes ex mari eminens, cuius in vertice inter laurum et palmam tres coronae: decidit homo, ramusculum tenens abscissum,

(*q*) P. I. p. 105. et 419.

scissum, qui ascendere voluerat. SVPERI RISERE. IVLY. 6. 1688. (r)

Inprimis vero annus 1688. quo Iacobo filius natus erat, et sequentes, quibus et regno exutus, et illud ope Gallica recuperare studuit, feraces fuerunt numorum Satyricorum.

A. Veritas sub foeminae specie, pedibus serpentem conterit, aperitque scrinium, in quo Iesuita latens supra infantem emittit, cum corona in capite et ciborio in manu. SIC NON HAEREDES DEERVNT. scrinii ianuae inscriptum: IAC FRAN EDVAR SVPPOSIT 20 IVNII 1688. B. equus Traianus et procul vrbs accensa. EQVO NVNQVAM TV CREDE BRITANNE. Integumento inscriptum: LIBERT CONS. SINE IVRAM ET LEG. P: et loro, quo corpus constringitur: ASTVS. (s)

A. Cista, quam Pallas dederat seruandam Cecropis filiabus, quam dum puella aperit,

(r) Evelyn p. 151. Loon P. III. p. 306. Koehlerus P. IV. p. 525.
(s) Loon P. III. p. 345.

aperit, videt monstrum, superius infantem, serpentem inferius: INFANTEMQVE VIDENT APPORRECTVMQVE DRACONEM. B. Rosetum languidum, radicibus suis praeter spem emittens ramum. TAMEN NASCATVR OPORTET; MDCLXXXVIII (*t*).

A. Caput regis. LVDOVICVS MAGNVS REX. B. Iesuita brachiis tenens infantem cum parua mola, a vento agitari solita: Dux Louzun cum gladio disrupto: eos fugientes ad nauem persequitur leo Belgicus coronatus, tenens hastam cum pileo et labaro. AVT REX AVT NIHIL. Infra: REGIFVGIVM IAC AD LVD XIV. (*u*)

A. Regis et reginae capita. GVILIEL REX MARIA REGINA F. D. P. A. B. arma Angliae addita arbori. rex Iacobus et Iesuita fulmine territi fugiunt. ille coronam et sceptrum proiicit, hic gestat infantem cum mola parua. In nube: ITE MISSA EST. Infra: INAVGVRATIS MAIE-

STATIBVS

(*t*) Ib. p. 346. (*u*) Ib. p. 368.

STATIBVS EIECTO PAPATV EXPVLSA TYRANNIDE BRITANNIA FELIX. 1689. (*x*)

A. Caput. IACOBVS II. BRITAN. REX. FVGITIV. B. ceruus pedibus alatis. PEDIBVS TIMOR ADDIDIT ALAS. Infra: FVGIT EX BRITANNIA. D. 12 Iulii 1690. (*y*)

Praetereo alios: nam etiam in eo bello est aliquantum morandum, quod a. 1688. Ludouicus cum Anglis, Hispanis, Belgis et Germanis gessit, quodque caussa plurium numorum Satyricorum fuit. Primum obiiciebatur Ludouico, illum Turcae foedus obtulisse contra Imperatorem, quo etiam hic numus spectat:

A. Christianus igne crematur, rex Franciae, prope iacentibus corona, sceptro, gladio, adorat Turcam in throno sedentem, oblatis duobus argento plenis saccis. GALLIA SVPPLEX. Infra: VIRO IMMORTALI. B. AMICVS TVRCA AMICI ALGERINI AMICI BARBARI CHRISTIANORVM OSOR ET HOSTIS. 1689.

N 2 Deinde

(*x*) Ib. 386. (*y*) Ib. P. IV. p. 19.

Deinde etiam varia, quae illo tempore acciderant, in nummis ridendi occasionem dederunt. Inprimis annus 1693. nummos exhibet aliquot non praetermittendos.

A. Caput regis. LVDOVICVS MAGNVS REX. B. curru tracto a duabus mulieribus rex Versalias redit. praecedit tertia cum baculo, cui sacculus vacuus affixus, et nota O inscripta. VENIT VIDIT SED NON VICIT. Infra: A BELG. EXPEDITI REDVX VERSAL. M. IVN. MDCXCIII.

A. Caput regis. WILLHELMVS III. D. G. ANG. SCO. FRANC. ET HIB REX. B. Gallus et gallinae, fugientes vulpem. NIL CANTVS NIL NVMERVS. Infra XII. Iun. MDCXCIII. (z)

A. Arx Rheinfels cum infra iacente oppido St. Goar, et ex aduerso posita arce Catz. infra tabernacula, vnde ignis. Supra: STRENAE GALLICAE. Infra: REINFELS FRVSTRA OBSESS. LIBERAT. DIE 2 IAN. 1693. B. fluuius Rheni sub persona viri, inter duas columnas, in quibus legitur:

(z) Loon P. IV. p. 134.

legitur: NON VLTRA. nitens vrna, vnde profluit aqua, notata verbo: RHENVS. in scheda volante: HABET ET GERMANIA METAS. in basi dextrae columnae artificis nomen P. H. M. in exergo: ARX RHEINFELS HASSORVM VIRTVTE FVGIENTE TALLARDO SERVATVR (*a*).

Talardus regi promiserat, se loco strenatum arcem illi traditurum esse.

A. Sol, nube obscuratus, et lilium marcescens. NVNC GLORIA TRANSIT. B. arcem relinquentes oppugnatores. NEC AVRO NEC ARMIS. Infra: RHEINFEL ET S GOAR OBSIDIO IRRITA GALLIS FVG II Ian. MDCXCIII. (*b*)

A. Caput laureatum. LVDOVICVS MAGNVS REX. B. procul sol occidens. Phoebus in antro marino, Nymphis circumdatus. SOLIS LAVTRICIBVS SERVATIS. MDCXCIII. (*c*)

N 3 A. Rex

(*a*) Loon P. IV. p. 122. Koehler. P. XVI. p. 97.
(*b*) Loon P. IV. p. 124.
(*c*) Ibid. p. 135.

A. Rex Ludouicus sub velo, liliis ornato, in sella retro labente, tenet auenam piscatoriam, quae habet schedam cum verbo: PAX. Ante thronum mulier galeata, cum hasta et clypeo: tres varie induti, quibuscum loquitur alius, lilium in tergore, serpentes in capite, marsupium in manu tenens: ad pedes vestis histrionis. Supra: NE CREDITE BELGI. Infra: ALIQVIS LATET ERROR. R. Monimentum, cuius fronti affixus septem sagittarum fasciculus, impositusque liber, vnde prodit manus cum gladio, scheda cincto, cui inscriptum: ANIMIS OPIBVSQ. PARATI. prope delabitur abscissus ramus palmae, catena et serpente cinctus. Variae vrbes cum verbis: GENVA. PALATIN. RHENI. BELG. HISP. Supra: FELIX QVEM FACIVNT ALIENA PERICVLA CAVTVM. In imo: SECVRIVS BELLVM PACE DVBIA. MDCXCIII. (*d*)

Eo tempore Gallis vtilem operam praestitit Ioannes Baert, qui vbique per maria vagabatur,

(*d*) Loon p. 153. Lochner Samml: merkw. *Med.* P. II. p. 313.

-batur, Belgisque inprimis non exiguum damnum inferebat, honoribus a rege ornatus. Ab his igitur procul dubio ille numus cuſus eſt, in quo eum comparant cum famoſo Stoerzenbechero, qui inter illos praedones fuit, qui ſub finem ſec. XIV. omnia maria intuta redderent. Illis aegre tandem ab vrbibus Hanſeaticis, Hamburgenſibus inprimis, victis, etiam Stoerzenbecher capiebatur et plectebatur capite.

A. Imago Stoerzenbecheri barbata. CLAVS STOERTZENBECHER PYRATA FAMOS9 HAMBVRGI NECAT9. A. 1401. B. Elegans effigies Baertii longo capillamento ornati. IEAN BAERT PYRATA GALLORVM MAXIMVS. Subtus: NON IDEM OMNIBVS FATVM. In ora exteriore; CONVENIVNT FACTIS PARIBVS PAR NOBILE FRATRVM. (c)

Praetereo reliquos: in quibus ſunt etiam, quorum me memini aliquot videre, quos odium impotens erga amicos Speneri et Franckii, quorum ſummum de re Chriſtiana bene merendi ſtudium, optimum animum

 et

(c) Lochner. P. I. p. 409.

et honestissimam voluntatem aut non potuerunt, aut noluerunt intelligere ii, qui ὀρθοδοξῶν titulo superbi, cum his ter vlnarum toga per cathedras, scholas et templa ambulabant; quos igitur in Pietistas eorum ira procudit (*f*).

Delati sumus ad seculum XVIII. cuius primum decennium forte plures numos Satyricos vidit, quam dimidium seculum XVII. Namque sub haec tempora rei numariae studium laete effloruisse videtur, aliis eam scriptis illustrantibus, aliis colligentibus numos plurimos. Inde etiam ardor accensus videtur artificum, quorum tum erant plures peritissimique sculpturae, numorum Satyricorum fabricandorum, quos plures emtores inuenire, charoque pretio emi solebant. Quare miror, quomodo factum sit, vt Imperator Carolus VI. in litteris patentibus, a. 1715. datis, nullam numorum mentionem fecerit, cum tamen picturarum fiat. — *mit Worten, laesterlichen Büchern, Schrifften, Schmaeh-Carten, schimpflichen Gedichten, Gemaehlden,*

(*f*) confer Aletophili *Erklaerung verschiedener Schaustücke, welche über die Streitsache des Pietismi und Chiliasmi sind verfertiget worden.* 1697. 14.

gemaehlden, Kupfferstichen, oder andern dergleichen Erfindungen boßhafft ohnbescheidener Weise angreiffen, schmaehen, oder sonst spoettisch anziehen und durchlassen etc. (g)

Ne vero totum seculum silentio praetereamus, primo decennio qui maxime memorabiles cusi sunt, numos aliquot indicabimus. Neque enim omnes dare nobis propositum est.

A. Effigies ducis. PHILIPPVS DVX ANDEGAVENSIS DECEPTORVM VOTIS OBTRVSVS MDCC. B. Effigies Cardinalis. PORTOCARERO CARD. TESTAMENTI FALLACIS ARTIFEX. MDCIC. (h)

Quid hoc numo indicetur, ad quam historiam respiciatur, nemo ignorabit.

A. Effigies regis Sueciae. HAEC OMNES VETERVM REVOCAVIT ADOREA LAVROS. Subtus; CAROLVS XII. D. G. SVEC. GOTHOR. REX RVSSORVM TRIVMPHATOR. MDCC. B. Leo dilacerat Draconem. In vicinia vrbs Narua cum arce Iuanogrod.

N 5 com-

(g) in Fabri *Staats-Canzley*. P. XXVI. p. 728.
(h) Loon P. V. p. 329.

COMPRIME FERALES TORVI PRAEDONIS HABENAS. Subtus: CALCABITVR ASPER. In ora exteriore: NIL SIBI PERIVRVM SENSIT PRODESSE FVROREM (*i*).

Obsidentem paruam quidem, sed bene munitam Liuoniae vrbem, Naruam, Imperatorem Moscouiae cum magno exercitu Rex Sueciae d. 20. Nouembris a. 1700. cum multo paucioribus militibus aggressus est. Munita castra inuasit: copias hostium profligauit: multos trucidauit, cepit permultos, et vrbem obsidione liberauit.

A. Pontificis effigies. CLEMENS XI. PONTIF. MAX. subtus C. W. B. Equus, fraenis solutis, libere currens, delabente integumento, et infra iacente scheda, cui inscriptum: *7000 Scudi.* Inscriptum: EQVO NE CREDITE TEVCRI. Subtus: AVFVGIAT PRO HAC VICE AN. MDCCI. (*k*)

Post Caroli II. Hispaniarum Regis mortem, cum et Austriaca domus succedere vellet, et [illegible] : Galli

(*i*) datur in *Thesauro Numismat. Modernorum huius seculi.* (Norinberg. fol.) p. 61.
(*k*) datur ibidem p. 121.

Galli iam regnum occupaſſent, incertus erat, quid ageret, Pontifex, qui regnum Neapolitanum pro feudo ſedis Romanae habet. Tandem Hiſpanici legati, ducis Vcedae, machinationibus accidit, vt equus toltarius cum tot, quot narrantur, aureorum dono, d. 29 Iunii a. 1701. in Vaticanum duceretur ornatus integumento, notato inſignibus Pontificiis. Sed et Caeſareo Legato repugnante, et Pontifice negante, equus expellebatur, per vrbem, excuſſo tegumento, curſitabat, et populi riſum excitabat. Numum cuſum eſſe a Gothano artifice, Chriſtiano Wermuthio, litterae ſubſcriptae indicant. Reſpexit ad illud, quod Pontifex antea dicere ſolebat, equo cum pecunia oblato: *Sufficiant pro hac vice.*

A. Antlia pneumatica, aëre extracto, ſignata litteris R A V, quam duo equi, quorum alter ſignatus parmula nuda, fruſtra diſtrahere nituntur. Adſtat et globum petere videtur vnicornis: deſuper aquila fulmina ſpargit. QVOD VI NON POTVIT. B. Manus, cuius quinque digitis inſcriptae litterae P. G. S. C. L. cochlea globum, in duas partes ſolutum, aperit. DISIECTVM EST ARTE MINISTRA. Subtus: MDCCII.

Exſtat

Exstat alius illi simillimus: nisi quod loco aquilae nubes est, cum verbis: NON VI, et in altera parte: SED ARTE, littera P. abest in pollice, cui folium vrticae cum litteris I. W. alligatum.

Huic in omnibus similis est tertius, modulo maior tamen, nisi quod in extima margine legitur: WAS WAR OHNMÖGLICH ALLER MACHT DAS HAT EIN S. C. H. A. L. G. ZUM STAND GEBRACHT (*l*).

Magna animorum concordia Duces Brunsuicenses, Rudolphus Augustus et Antonius Vlricus, vnito imperio vtebantur, huiusque amicitiae testimonia habemus numos plures, in his etiam litteras R. A. V. quae et ad nomina principum respiciunt, et explicantur: *Remigio Altissimi Vni.* Hac vero amicitia quorundam artibus dissoluta, Antonius Vlricus hos numos cudi curauit, cuius symbola qui recte intelligere velit, ille, quae apud Koehlerum quidam, qui nomen suum non edidit, disputauit, leget.

A. Effi-

(*l*) vide ibid. p. 166. et 1012. et duo priores in Koehleri M. B. P. XVI. p. 321. adde *Hallische Anzeigen* a. 1736. N. IX. p. 128. et Ludeuigii *Einleitung zu dem Teutschen Münzwesen mittler Zeiten.* p. 197.

A. Effigies reginae. ANNA. D. G. MAG. BR. FR. ET HIB. REGINA. Subtus I. BOSKAM. F. ſculptoris nomen. B. Bonna obſeſſa militibus, et globis immiſſis petita. BONA A MALIS EREPTA. Subtus: SOCIABIBVS ARMIS IDIB. MAII. MDCCIII. (*m*)

Bonnam, quam Elector Colonienſis Gallis tuendam dederat, defendit Alegrius: obſedere inde a d. 3 Maii. a. 1703. dux Marleburgius, Obdamius, Fagelius, et, qui coelum terra miſcere videbatur tormentis ſuis, Coehornius: quibus ſe d. XIX. dedit. Huius rei cauſa in hoc numo luditur, neſcio tamen, an ſatis ingenioſe. Ipſe etiam numus, qui in honorem Coehornii percuſſus, neſcio an placiturus ſit Grammaticis. Habet enim verſum:

Vt tonus euertit tubarum *moenia quondam*,
Sicque tonans Coehorn moenia, Bonna, tua.

Caeterum etiam in hoc numo idem eſt verborum luſus: *En mala Bonna diu ſic bona facta breui.* Sed perdite amare ſe has ineptias, Germania quotidie fere nouis exemplis oſtendit.

A. Fa-

(*m*) exſtat ibid. p. 267.

A. Facies principum duorum, ad se inuicem conuersae: alter fascia aurei velleris, alter S. Georgii ornatus: illi adscriptum: EVGENIVS D. SABAVDIAE: huic: IOH. D. MARLEBOROW. in imo: HIC POLLVX HIC CASTOR ADEST, QVOS GLORIA FRATRES HOOGSTETTEQVE FACIT. NVNC QVOQVE GALLE TVMES. B. Praelium: milites quidam flexu genu gladium tradentes duci: superne in aëre Fama, cum duabus tubis. Inscriptum: PIACVLA TEMERITATIS GALLICAE. In propinquo sub Dei specie Danubius, et varii suffocati flumine milites cum tormentis. In imo: GALLE, RETRO PROPERA, VVLTVS PERFERRE DECOROS NON POTES, AVT TVMVLVM SERVITIVMQVE VIDE. XIII. AVG. MDCCIIII. (*n*)

Satius duco, nihil, quam pauca dicere, de eo praelio, quo Gallorum audacia fracta, impetusque retusus, Germania liberata, et immortalis gloria fortissimis Ducibus conciliata est.

A. Re-

(*n*) datur ibidem p. 390.

A. Regis Romanorum Iosephi imago laureata, quam cingunt haec Virgiliana: O SATE GENTE DEVM GERMANAM EX HOSTIBVS VRBEM BIS REVEHIS NOBIS. VIRG. In imo: LANDAVIA PER R. IOSEPHVM ITERVM LIBERATA. 25 NOV. 1704. G. F. N. (monetarii nomen: *Georgius Fridericus Nürnberger.*) B. Spelunca Caci munita, sed expugnata ab Hercule (*o*) SPEM CVSTODITA FEFELLIT. VIRG. Subtus: HERCVLES ROMANVS AVG. In exergo: BIS CESSIT LEOPOLDO MAGNO ET REGI IOSEPHO (*p*).

Qui Landauia expugnata primum fortitudinis specimen ediderat, eandem vrbem, a. 1703. a Gallis iterum captam, et defensam a duce forti d. 25 Nou. a. 1704. iterum feliciter expugnauit. Inscriptione vero in auersa parte respicitur ad eam, quam Vaubanius portae cuidam Landauiensi praefixerat: *Haec nemini cedet.*

A. Tres columnae catena iunctae. Primae cum corona laurea, inscriptum: PVGNA

(*o*) Vid. *Virgil. Aen. L. VIII.*
(*p*) datur eodem loco p. 143.

PVGNA TERRESTRI XIII. IVL. ET XIII. AVG. secundae, cui corona muralis imposita, additum: AVGVSTA VLMA LANDAV TRARBACH GIBRALTAR ALIISQVE RECEPTIS: tertiae vero cum nauali corona: PVGNA NAVALI XX IVLII AVGVSTI. Subtus: ANNVS MDCCIV et in ambitu: GERMANIS ANGLIS BATAVIS FELICISSIMVS GALLIS HISPANIS BAVARIS INFELICISSIMVS. ℞. Haec inscriptio: LVDOVICO MAGNO QVI BAVARIS DEBELLATIS GALLIS TOTIES DEVICTIS SOCIIS ELECTORIBVS BIS SVBACTIS GERMANIS ANGLIS BATAVIS TRIVMPHANTIBVS SVIS CLASSIBVS FVGATIS ET INCENSIS A FOEDERATIS PACEM EXPECTAT PETIT ANNO MDCCIV. (q)

Cusus est hic numus eo anno, qui foederatis contra Galliam principibus felicissimus erat: cum sub finem illius arcem Graeuenburg cepissent, hybernorum prope Mosellam securitatem adseruissent, suisque excur-

sionibus

(q) exstat ibidem p. 439. Loon P. V. p. 4.

sionibus Metas vsque aditum aperuissent. Respicitur vero inprimis ad numum a. 1678. Parisiis cusum, in aduersa regis imaginem cum verbis: LVDOVICVS MAGNVS REX, in auersa hanc inscriptionem habentem: *Ludouico Magno, qui Batauis debellatis Hispanis toties deuictis Sequanis bis subactis Germanis vbique superatis hostium classibus fugatis et incensis toti fere Europae coniuratae et foederatae pacem dedit imperauit a. 1678.* quam inscriptionem si quis insolentissimam esse dixerit, et reliquis, quae tum conspiciebantur, monumentis similem, aequo profecto Ioue iudicabit, facietque mecum.

Alium numum, qui huc pertinet, debeo Keysslero (*r*).

A. AVGVSTA VINDELICOR D. XIV. DEC. MDCCIII. IN ANGVSTIIS INOPINATO EX ANGVSTIISQ. LIBERATA D. XIV. AVG. MDCCIV.
B. VLMA AB OVI OVI SVIBVSQVE LIBERATA. XIII. SEPT. MDCCIV.

Apparet vero, ipseque monet, respici cum ad porcorum grunnitum, tum ad verbum Gallicum,

(*r*) in *neuesten Reisen p. 90.* T. I.

Gallicum, quo in adfirmando vtuntur: Bavarosque ob porcorum pastum a vicinis saepe irrideri: ideoque numo hoc vtramque nationem tangi.

Andegauensis dux equo concitato fugat, diademate capite decidente. Barcellona cum portu, obsidione clausa. In aëre genius scutum Austriacum soli obuertit. SOLIS ECLIPSIS D. 12 MAI. Infra: BARCELLONA OBSIDIONE LIBERATA PHILIPPO ANDEGAV. EX HISP. FVGATO.

Duci Marleburgico, hostibus prostratis, inequitanti, quatuor foeminae, muralibus coronis instructae, claues offerunt. VICTORIARVM IMPETVS. Subtus: SVB DVCE MARLEBVRG. VICTORE PERPETVO GALL. PROFLIGATIS BRABANTIA ET FLANDRIA EREPTAE MDCCVI.

In limbo: SIC SOL CRESCENTES DECEDENS DVPLICAT VMBRAS. (s)

Vrbem Cataloniae amplissimam, Barcellonam, captam a. 1705. ab Hispaniarum rege Carolo

(s) Exstat ibid. p. 583. et in Loon P. V. p. 33. Lochneri *Sammlung merkw. Med.* T. III. p. 409.

Carolo III. sequenti anno Comes Tolosanus classe, et dux Noaillius copiis obsederunt: quibus denique Philippus V. ipse accessit. Sed qui sub praefecto Comite de Vhlefeld vrbem defendebant, fortissime se gesserunt vsque ad aduentum classis ex Anglicis et Batauis nauibus compositae. Qui cum die VIII. Maii accidisset, et classis aufugit, et copiae terrestres, maxima rerum suarum parte relicta, fugam ceperunt celerrimam. Illius vero diei hora decima antemeridiana, solis lumen aliquamdiu obscuratum fuit, quasi ipse sol Satyram facere voluerit in regem Galliae, qui solis symbolo vtebatur. Illis: *victoriarum impetus*, respicitur ad numum, Galliae regis honori antea dicatum cum eadem inscriptione (*t*).

A. Dux Sabaudiae, Victor Amadeus, et princeps, Eugenius, se ante portam Augustae Taurinorum complectuntur: aliis manibus versus hunc extendentibus: iacentibus in terra variis armis, et fugientibus hostibus. Sol e nubibus emergens radios spargere incipit,

(*t*) vid. *Medailles sur les principaux evenements du regne entier de Louis le grand.* Paris. 1723. n. 52.

et fama tuba cantat, schedam gestans, cui inscriptum: SABAVDIA LIBERATA IO TRIVMPHE. In imo: VICTORI AMADEO ET EVGENIO PRINCIPP. SABAVD. GALLICANA OBSIDIONE PROFLIGATA AVGVST. TAVRIN. LIBERANTIBVS. VII. SEPTEMB. B. Phaeton e curru in vndas delabitur. MERGITVR ERIDANO. MDCCVI. M. SMELTZING (*u*).

Augustam Taurinorum, quam vnam fere vrbium reliquarum reliquerat fortuna Victori Amadeo, obsidione graui pressit dux Fevilladaeus. Illa igitur a Daunio fortissime defensa, et die VII. Septembr. a. 1706. a Caesareis liberata, Gallis fusis, et castris captis, hic numus a Belgico artifice cusus est.

A. Effigies Reginae. ANNA D. G. MAG. BR. FR. ET HIB. REGINA. B. Abimelech, qui dum portas accendere vult, a muliere lapide percutitur, et satellitem orat, vt se occidat. PERCVTE ME NE DICATVR QVOD A FOEMINA INTERFECTVS SIM. IVDIC. C. 9.

Est

(*u*) exstat ibid. p. 602. Loon P. V. p. 44.

Eſt numus percuſſus, poſtquam vrbes Menin, Dendermonde, Ath, expugnatae, aliaeque captae erant, et in Caroli III. poteſtatem venerant.

A. Ferox equus, cuius integumentum lilio ornatum, equite excuſſo, fugit. NOVA VELOCEM CINGVLA LAEDIT EQVVM. B. Vrbs Neapolis cum portu et caſtellis. Aduenientes milites a procedentibus ciuibus ramis palmae excipiuntur. DESERTOS VIDERE LOCOS LITTVSQVE RELICTVM. In imo: NEAPOLIS A GALL. DESERT. A CAES. OCC. D. 7 IVL. 1707. In margine: PARET EQVVS LENTIS ANIMOSVS HABENIS. OVID. (*x*).

Aduentante Caeſareo exercitu, praefectus regius, Eſcalonae dux, omnem ſpem regni Neapolitani defendendi abiecit, et Gaëtam cum proceribus abiit. Capua occupata, propius cum ad moenia Neapoleos acceſſiſſent copiae, die 7 Iul. a. 1707. claues vrbis illis traduntur, vnaque vrbs Caroli imperio: deleta a populo aerea ducis Andegauenſis ſtatua.

(*x*) ibid. p. 687. Loon. P. V. p. 52. et Lochner in *Samml. m. M. P. II. p.* 265.

A. Duo heroes Romano more induti, et laurea ſerta manibus tenentes, diſcerpunt duo lilia ex caule, tribus liliis ornato. AD EXORNANDAM LAVREAM. Subtus: EVGENII ET MARLBORVGII CONIVNCTIO GALLORVM DISSIPATIO. B. Gallus gallinaceus fruſtulum panis hamo inditum deglutiens capitur ab homine ſub arbore ſedente. VAE TIBI LVDENTI NAM MOX POST IVBILA FLEBIS. Infra: GALLI GANDAVO ET BRVGA CAPTA ALDENARDAM OBSESSVRI VINCVNTVR MDCCIIX. XI. IVL. (y)

Poſt irritum conatum Gallorum, Scotiam cum Iacobo ſibi Walliae principis nomen arrogante, inuadendi, non felicius euenere, quae a. 1708. moliebantur. Nam et ſtatim, ac ex hybernis abiiſſent, eos exercitus foederatorum principum anteuertit, et d. XI. Iulii praelio vicit, et fugauit ad Aldenardam, multaque alia egit feliciſſime.

A. Turris immanis Babylonica, cum multis per planitiem diſſipatis hominibus. CONFVNDAMVS LINGVAM EORVM

(y) Ibid. p. 796. Loon P. V. p. 106.

RVM VT NON AVDIAT VNVSQVISQVE VOCEM PROXIMI SVI. Subtus: RYSSEL VEL INSVLAE PER PRINCIPEM EVGENIVM OBSESSA 22 AVG. ET 23 OCT. RECEPTA. 1708. B. Vrbs obsidione clausa. Sol et Luna: SISTE SOL IN GIBEON ET LVNA IN VALLE AIALON. In imo: CASTELLVM RYSSEL OBSESSVM XXVII OCT. RECEPTVM VERO IX DEC. In extima ora: VNITA VIRTVS VALET (z).

De forti Insularum defensione per Mareschallum Bufflerium et felici illarum expugnatione per Eugenium diximus iam alio loco.

A. Effigies reginae. ANNA DEI GRA MAG BR FR ET HIB REGINA. B. Leo gallum ex labyrintho fugat. FATA VIAM INVENIENT. Infra PRAEL. WYNENDAL. 28 SEP. 1708.

A. Idem typus. B. Gallus leonem fugiens: et fluuius Scaldis, sub persona hominis mirabundus. IACTABAS

 QVON-

(z) datur ibid. p. 833.

QVONDAM CANTANDO FVGASSE LEONEM. Infra: FLVVIVS SCALDIS SVPERATVS HOSTE ASPICIENTE. D. 26 NOV. 1708.

Respicitur forte ad illum numum, qui a. 1661. cusus erat a Gallis.

A. Effigies regis armata. LVD. XIIII. D. G. FR. ET NAV. REX. B. Gallus lauro insidens, quem fugit leo. VENI VIDI VICI. Infra: L'ORDINAIRE DES GVERRES. 1661. (*a*)

A. Idem typus. B. Leo sub pedibus scutum cum liliis et clauem habet: altero pede prehendit gallum. NVNC TV GALLE FVGIS DVM LEO BELGA FREMIT. In imo: INSVLA CAPTA XXIII OCTOB. ET ARCE IX DECEMB MDCCVIII. (*b*)

A. Phaeton in curru solis Zodiaci signis terretur. SOLEM MENTITVR QVEM SIDERA TERRENT. B. Sol alto monte absconditus. SOL RVIT INTEREA ET MONTES VMBRANTVR. In imo: STRAGES

GALL

(*a*) Loon. P. III. p. 14.
(*b*) Loon. P. V. p. 111. et 123.

GALL AD MONTES HANNON. XI SEPT. MDCCIX. (*c*)

A. Imago Regis armata humerotenus. CAROLVS. III. D. G. HISPAN. ET INDIAR. REX. Infra P. H. M. (id eſt: *Philipp Heinrich Müller*, Auguſtanus artifex). B. Miles Romano more indutus gladium dextra tenens, ſiniſtra arripiens Harpyiam: duae Harpyiae ex aëre decidentes quaſi victae. SCIT PATRIO SONTES HARPYIAS PELLERE REGNO. Subtus: VICTORIA AD LERIDAM IPSIVS REGIS CONTRA DVCEM. 1710. (*d*)

Cum Dux Andegauenſis caſtra ſua mutaſſet, rex Carolus, Belgicis, Anglicis, et Caeſareis militibus inſtructus, illius copias antevertit, et die 27 Iul. adortus eſt, vicit et fugauit.

A. Sol Francicus globo terrarum obſcuratus. DEFECTVM LVMINE VIDIT. B. Duo milites pallio inſidentes ludunt tribus talis. Gallus prope ſe

(*c*) Loon P. V. p. 145.

(*d*) dat Lochner P. I. p. 89. et Loon P. V. p. 157.

ſe habet iacentes tres numos, quibus inſcriptum: ARRAS et PARIS. Alter ex foederatis tres, et in illis: RYSSEL MONS DOORNICK. Quaſi perdidiſſet, tradit Gallus illi numum cum nota: DOUAY. Supra SPES PERDENS. Infra: DVACVM GALLIS PACEM SPERN. EREPTVM MDCCX.

A. Regina dormienti in tabernaculo, prope quod homines laqueum habentes, Ludouico crines abſcindit: PHILISTER VBER DIR SIMSON. In imo: POST VARIAS VRBES ET DVACVM GALLIS EREPTVM. D 27 IVN 1710. B. Regina cithara ludens. Ludouicus habitu valetudinarii, obuolutis cruribus, ſuſtentans ſe duobus baculis, ſaltat. *Il faut s'accommoder aux Dames.* In imo. LVDOVIC MAGN ANNA ILLO MAIOR (*e*).

A. Caput Caroli. CAROLVS III. D. G. HISPAN. ET INDIAR. REX. B. aquila gallum diſcerpens. NVNC CRVOR ET VVLBAE LABVNTVR

AB

(*e*) vide Loon P. V. p. 165.]

AB AETHERE PLVMAE. Infra: DE GALLIS IN CATAL ET ARRAGONIA. 1710.

A. Caput laureatum: CAROLVS III. HISPANIAR' ET INDIAR REX CATHOL. B. Rex Philippus fugiens, et ad Ieſuitam dicens: QVEM FVGIAM NOVI AD QVEM AVTEM FVGIAM NEQVAQVAM. In imo: CAROLVS DEVICIT DVC ANDEGAV EXERCIT XXVII IVL DELEVIT C FEST S. P. IGNAT. LOGOL. CIↃIↃCCX. ALMENAR.

A. Idem typus, qui ſupra. B. Rex Philippus, habitu regis, vt aiunt, theatralis militibus dicit: PLAVDITE NVNC ILICET. Infra: PHILIPPI EXERCITVS FVNDITVS SVBLATVS AD SARAGOSSAM. DIE XX AVGVSTI. MDCCX. (*f*)

Verum nolumus plures commemorare, multosque omnino addere, ne exhibeamus, quos quisquam ad ſui contumeliam pertinere queri poſſit. Eſt vero eorum numerus magnus, atque

(*f*) Loon P. V. p. 159.

atque merito illud a primo seculi huius anno vsque ad decimum quintum circiter tempus Satyricorum numorum prouentu feracissimum appellari potest. Videtur quidem paullum restincta esse inde ab eo tempore horum numorum cum sculpendorum tum emendorum cupiditas: minime tamen res ipsa omnino est abolita. Vidi ego, et in manibus habui plures numos, qui tempore belli, post Caroli VI. mortem contra Austriacam domum orti, cusi erant: vidi etiam quosdam, quibus bellum, quo nuper Germania misere deuastata est, occasionem dederat. Sed ab his omnibus memorandis abstineo. Erit fortasse post centum annos, qui telam a nobis inceptam pertexat, eademque libertate nostrae aetatis numos commemoret, qua ego, qui maiorum nostrorum tempore prodierunt, narraui. Ille igitur, quicunque fuerit, in quibus errauimus, corriget, quae a nobis neglecta, addet, quae certas ob caussas omissa, liberaliter adiiciet. Nulla est rerum humanarum, quae non emendationem requirat: nulla, in qua perficienda non plus valeat duorum diligentia, quam vnius, qui primus in illa elaborauerit. Meo animo nihil gratius est, quam discere, erroresque, si etiam cum famae detrimento

fieri

fieri debeat, lubentiſſime et ipſe emendo, et aliis mihi hoc beneficium tribuentibus magnam gratiam habeo. Haec cogitato, mi bone, et ſimul, ſi quaedam a me non infeliciter explicata ſenſeris, ſi Te in quibusdam adiutum a me animaduerteris, immo ſi me in re nondum antea a quoquam diligentius explicata non peſſime verſatum fuiſſe videris: nomen noſtrum cum beneuolentia quadam et comitate vſurpare memento.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Ad p. 8.] Quid? quod etiam Satyricam ſtatuam ſibi inueniſſe viſus eſt Maffeius. Nam de ſtatua marmorea L. Veri, in hortis Matthaeiorum, nuda dicit: *E può eſſere, che nella nudità del corpo l'artefice aveſſe intenzione di dinotare piuttoſto, che il portamento eroico con apparente titolo d'onore, la ſua sfrenata laſcivia.* v. *Raccolta di Statue antiche e moderne.* n. 106. Sed merito in notis ad *Muſeum Capitolinum* diſſentit Bottarius, oſtenditque, veteres, ſi indicare vellent, aliquem inter heroas et Deos numeratum eſſe, illum nudum finxiſſe. vide

T. III.

T. III. p. 125. vnde etiam Augusti nudi statua apparet ibidem *tab. 52.*

Ne quidquam praeteream, ad gemmas Satyricas, de quibus locuti sumus, refert I. G. Wachterus in *Miscellan. Berolinens. Cont. II.* p. 342. eam, quae monstrum exhibet e capitibus, humano, equino, arietino compositum, cum pedibus gallinaceis. Vitia tyrannorum in ea inuenit, artificique propositum fuisse coniicit, hac membrorum congerie principis alicuius ingenium describere. Sed ipse videtur non multum suae opinioni tribuere. vide Gorlaei *Dactyliothecam.* P. II. n. 309. 316. 317.

Sed, vt fit in latissimo harum rerum ambitu, quae summi momenti, quaeque primo loco memoranda erant, ea omisi. Nempe repetere ea debebam, quae eruditissimus Comes Caylus in opere pulcherrimo: *Recueil d'antiquités Egyptiennes, Etrusques, Grecques, Romaines, et Gauloises.* T. III, p. 280. de tribus signis satyricis disputauit. Totam vero illius orationem huc transferre lubet, praesertim cum opus ipsum non omnium in manibus sit:

Les hommes ont toujours été frappés du ridicule; et les nations les plus sages ont

non

non seulement succombé au plaisir de le relever, souvent encore elles ont fait servir les Arts à communiquer l'impression, qu'elles en avoient reçue. Pline & quelques Historiens ont rapporté plusieurs exemples de ces sortes de Critiques, que la Grèce leur avoit fournies: ainsi je ne doute pas, que dans le nombre des monumens, qui sont venus jusqu'à nous, il n'y en ait plusieurs de satyriques: mais le caractère des personnages étant aussi inconnu, que le fonds de la plaisanterie, il est impossible aujourdhui de sentir la finesse de ces badinages, aux quels il est certain que la ressemblance extérieure ajoute infinement. Nous ne pouvons donc les appercevoir, que très-généralement, & même avec peine, d'autant qu'il est rare de trouver des monumens de ce genre, aussi peu douteux, que celui de ce Numero.

Il représente un Senateur Romain avec toute la gravité de son état, c'est à dire, habillé d'une toge, plus exactement rendue peut-être, que sur aucun autre monument. Ce digne Consulaire tient à la main le volume, ou le rouleau, qu'on étoit dans l'habitude de donner aux hommes de cet état. Outre que la tête de ce personnage est celle d'un

d'un Ours parfaitement dessinée, l'habitude du corps, le maintien & la position des pieds ressemblent à cet animal. J'avoue, que le scrinium *ne paroît point ici: il étoit un témoignage, qu'on avoit exercé les principaux emplois du Sénat. Cependant je croirois volontiers, que cette critique, ou cette* charge, *pour employer le terme consacré par les Modernes, seroit celle d'un Consul; cette dignité mettant un homme plus au jour & l'exposant davantage au ridicule. Il paroît du moins, que ce portrait est celui d'un homme fort connu dans son tems: car on ne prend point la peine de faire jetter en bronze une figure, pour tourner en ridicule un homme ignoré. L'examen des Consuls du Haut-Empire, car le bon gout du travail donne une pareille dette à ce monument, pourroit, absolument parlant, faire retrouver le nom de celui, qu'on a eu en vûe, mais l'éclaircissement ne vaudroit pas la peine de la recherche.*

Ce petit Bronze ne peut être mieux conservé, ni plus précieux par sa rareté. On en voit un à peu pres pareil dans le Cabinet des Jésuites de Rome, & dont le volume n'est pas plus considérable. J'ignore les pro-

portions

portions & la matière de l'Ane, que possède le Cardinal Albani, & qui paroît revêtu de la toge. Je ne connois, que ces trois Figures aussi peu douteuses dans ce genre. Celle de ce Numero a été trouvée depuis peu de tems à Rome, d'ou elle m'a été envoyée.

Hauteur un pouce dix lignes.

Ad p. 10. lin. 9.] Eruditissimus Comes, Caylus, dedit etiam caput e terra cocta, artificis Etrusci opus, cum lingua ore exserta. v. *Recueil d'Antiquités Egyptiennes, Etrusqu. Grecqu. et Romain.* T. II. tab. XXVI. n. 1. p. 80. Prudenter vero addit: *La langue hors de la bouche; singularité, que l'on trouve aussi sur les Medailles, ne marquoit peut-être pas, comme aujourdhui, la dérision & l'indecence. On ne finiroit pas, si on vouloit se livrer à des conjectures toujours arbitraires sur des matières voilées d'une si grande obscurité.*

Ad p. 36.] Copiosissime doctissimeque Digamma Claudianum illustratur in libro eruditissimo: *Nouveau Traité Diplomatique par deux religieux Bénédictins.* P. II. Sect. III. c. 1. art. 2. §. 6. 7. p. 44-48. De nostro nummo dicitur: *C'est un trophée érigé au Digamma,*

gamma, au plutôt à son Auteur, à cause de la victoire remportée sur les Bretons.

Ad p. 37.] De numis plumbeis dicenti nescio quomodo exciderit liber Franc. Ficoronii *de plumbeis antiquorum numismatibus, tam sacris, quam profanis, dissertatio latine versa a* Domin. Cantagallio. *Romae 1750. 4.* Nec poenitebit legisse ea, quae Comes Caylus in libro iam aliquoties laudato dicit. v. T. III. p. 285. sequ. vbi etiam de Ficoronii libro iudicat: *Cet ouvrage me paroit d'une médiocre vtilité; ce n'est qu'un sommaire & une indication tres legère de chaque objet. L'auteur propose toutes les difficultés, que cette matière peut présenter, par rapport à son ancien usage, mais il n'en lève aucune.*

Ad p. 51. in not. x.] adde laudatis ibi viris: Gio. Franc. Madrisio *Lezione sopra i Trofei degli Antichi:* nella *Raccolta d'opuscoli scientif. & filolog.* (Venet. 1730.) T. III. p. 318. sequ.

Ad p. 52.] Generosum hunc Romanorum morem imitata est etiam nuper Britannia in tribus numis, quos dat Cl. Io. Frider. Ioachim *im neueröffneten Münzcabinet* P. II. t. XXXX. Primi numi in aduersa parte stat Victoria,

